



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. III. De materia Eucharistiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ditatis aeterna, futura iucunditatis amabile praeludium, ar-
rha sponsae, locale divinum coelestius ei donatum; Ecclesia
militans cum triumphante suave glutinum, & unio fra-
terna, dum illam dulcedinem qua illa fruitur sine velamen-
to, ista habet sub sacramento; & si illa coelestis Ierusalem
habet Deum suum iucundius, ista in terra militans, habet
eum mirabilius.

121. Articulo sexto docet S. Thomas, sacramentum
Eucharistiae plures olim habuisse figuras, nimi-
rum oblationem Melchisedech, qui obtulit pa-
nem & vinum; Manna, quod habebat in se om-
nis sapotis suavitatem, ut dicitur Sapient. 16. & va-
ria sacrificia veteris legis, praesertim sacrificium ex-
piationis, quod erat solemnissimum; sed praecipua
ejus figuram fuisse Agnum Paschalem; quia
perfectius representabat omnia quae ad ipsam per-
tinent: nam oblatio Melchisedech representabat
Eucharistiam solum quantum ad id quod est sacra-
mentum tantum, nimirum species panis & vini: Sa-
crificia veteris legis solum representabant Chri-
stum passum, qui est res hujus sacramenti; Manna
verò, ejus tantum effectum, gratia nimirum Eu-
charistiae dulcedinem & suavitatem praefigurabat:
Sed Agnus Paschalis quantum ad haec tria hoc sa-
cramentum representabat, quia manducabatur
eum panibus azymis, immolabatur ab omni mul-
titudine filiorum Israel; quae immolatio erat figura
passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur
Agnus; & denique quia per sanguinem Agni Pas-
chalis protegi sunt filii Israel à devastante Angelo,
& educti de Aegyptiaca servitute; quae eductio er-
at symbolum seu figura liberationis populi Chri-
stiani à servitute peccati, per gratiam justificantem
quae in hoc sacramento copiose confertur: Ergo
Agnus Paschalis fuit praecipua hujus sacramenti
figura. Unde Apostolus I. ad Corinth. 5. *Pascha no-
strum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis
sinceritatis & veritatis.* Ubi Glossa ex Augustino:
Pascha transitus dicitur (inquit) quia tunc primum po-
pulus Dei Pascha celebravit, quando ex Aegypto Hebraei
fugientes, mare rubrum transierunt: Nunc verò figura illa
prophetica completa est, cum sicut ovis ad immolandum du-
ctus est Christus, cujus sanguine illinitis postibus nostris, id
est frontibus Crucis signo signatis, à perditione hujus saeculi,
tanquam à captivitate Aegyptiaca liberamur, & saluberr-
imum transitum agimus, cum à diabolo transimus ad Chri-
stum &c. Legendus est D. Gregorius homil. 22.
in Evangelia, ubi totum Agni Paschalis mysteri-
um explicat ex professo, & in gratiam resurrectionis
Dominicae, Pascha Christiano sigillatim ap-
plicat.

DISPUTATIO III.

De materia Eucharistiae.

Ad questionem 74. Divi Thomae.

Cum hoc sacramentum sit institutum per mo-
dum convivii, ad reficiendam spiritualiter a-
nimam, duplicem habet materiam remotam
& transeuntem, ex qua conficitur, alteram ex qua
conficitur corpus, alteram ex qua sanguis efficitur.
De utraque in hac disputatione dicemus.

A

ARTICULUS PRIMUS

Qualis debeat esse panis, ad conficiendam
Eucharistiam?

§. I.

Praemittuntur quae apud omnes sunt certa, & reser-
vata sententia.

Supponimus ut de fide certum, materiam etiam
Scorpius Christi conficitur, esse panem, idem
colligitur evidenter ex facto Christi Marci 14.
& Luca 22. ubi dicitur, Christum manduca-
visse panem, & illud in corpus suum convertisse
sicque Ecclesia semper intellexit, ut traditur in Co-
cilio Lateranensi cap. Firmiter, in Florentino, &
Decreto Eugenii, & in Tridentino sess. 13. & 14.
sapè: fuitque praefiguratum in oblatione Melchi-
sedech, qui obtulit panem; unde Christus Plal. 135.
& ad Hebraeos 5. dicitur *Sacerdos in aeternum, secun-
dum ordinem Melchisedech.* Item Divina Sapientia
verb. 9. cunctos fideles ad Eucharistiam invitans,
sic ait: *Veni comedite panem meum &c.*

Per hoc excluduntur varii haereticorum errorum,
quos refert D. Thomas hic art. 1. Quidam enim
dicebantur Artotyritae (ut Augustinus dicit lib. de
haeresibus cap. 28.) offerebant panem & calicem
in hoc sacramento, dicentes à primis hominibus
oblationes de fructibus terrae & ovium fuisse edi-
bras. Alii verò, scilicet Cataphrige, & Peperini,
de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore
minutus punctio vulneribus extorquebatur,
Eucharistiam suam conficiebant, miscentes
farinam panemque inde facientes. Hic adjungit
sunt Gnostici & Manichaei, quorum errores, pro-
pter modestiam, D. Thomas hic praetermisit
deditur: Hi enim in semine humano corpus Christi
conficiebant, ut de Gnosticis refert Epiphanius
lib. 26. Vel in pane humano semine confectio, ut
de Manichaeis refert Augustinus, lib. de haeresibus,
cap. 46. Eodem errore referunt Victorius, & Bra-
sasmus, in scholiis ad Epistolam 54. S. Hieronymi, &
Bernardus Luceburgensis lib. 3. verbo *Papa*, &
verbo *Quintilianus*. Soto in 4. dist. 9. quaest. 1. re-
ferens Thomam Waldensem tomo 1. de sacram.
cap. 19. & Laurentium Beyerlinch in theatro vitae
humanae, verbo *Eucharistia*. Item Garino tomo 1.
praefcriptionum, lib. 4. folio 631. Unde immen-
to Vazquez hic disp. 170. cap. 1. contendit, non
quam haereses illas extitisse; imò nullam badem
praeter errorem Graecorum de fermentatione, immo
solum fuisse circa materiam consecrationis corporis
Christi: hujus enim dicti falsitas, ex eo patet, quod
etiam his temporibus est Calvinistarum sententia,
panem & vinum ita esse hujus sacramenti materia-
as, ut tamen illis deficientibus, aliae possint eorum
loco subrogari, ut omne esculentum, loco panis
& omne poculentum, loco vini, ut docent Beza &
pist. 2. ad Tillium, Polanus lib. 5. Synagoga
Theologicorum cap. 56. Scarpius de cena laeta
controv. 3. quaest. 1. & alii. Quia & sibi narratur
à viro fide digno, refert Adrianus Hostadius, item
22. de Eucharistia, non defuisse Ministrum, qui pro-
stulis panis deficientibus ad cenam peragendam
singulis potexit orbicularem partem panis facien-
tis, quod gallice *Saucisse*, sive *Boudin*, appellat-
ur.

Supponimus etiam ut certum & indubitatum apud Theologos, solum panem verum & propriè dictum, qui simpliciter & absolute est panis, esse materiam ad faciendum Corpus Christi. Sicut enim, quia ex Evangelio constat, Baptismum debere fieri in aqua, rectè colligitur solum aquam veram & naturalem, esse materiam Baptismi: ita quia idem Evangelium asserit, Christum panem consecrasse, pro materia hujus Sacramenti, & præcepisse discipulis, ut idem facerent, rectè inferitur, solum panem verum & propriè dictum, qui simpliciter & absolute est panis, esse materiam Eucharistiae. Unde massa cruda, aut torrida Sole, non est apta materia, quia panis usualis requirit, ut coquatur igne: sicut nec pasta oleo frigida, vel aqua elixa. Nec etiam amyllum, quia fit ex tritico corrupto, & ex eo non fit panis usualis, cum ejus materia non tam sit tritici farina, quam sac ex eo expressum, ut notavit Soro. Debet etiam massa, ut ex ea fiat panis sacramentalis, seu consecrabilis, esse coacta ex farina & aqua naturali. Unde ait D. Thomas hic art. 7. ad 3. *Si farina admiscetur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non possit ex eo confici Sacramentum, quia non est verus panis.* Nec obstat, quod opponit hic Cajetanus, de hoc dubitans, nimirum aquam non esse partem essentialem componentem, sed transuentem: est enim (inquit) panis tertia res relutans ex commixtione farinae & aquae, per pastae decoctionem. Non obstat, inquam, nam quidquid sit, an aqua sit materia componens, an transiens, certè talis panis non est usualis, nec consequenter aptus ad consecrationem. Idem dicendum de pane confecto ex milio, leguminibus, nucibus, aut castaneis, vel ex radicibus arborum, qualis est ille, qui fit in Insulis Americae, vulgoque *Casave* appellatur; ille enim non est panis simpliciter, sed secundum quid, nec usualis & communis, in quo Christus hoc Sacramentum instituit. Quare difficultas solùm restat de pane, qui fit ex granis aristas & spicas habentibus, & dicitur frumentaceus, latè sumendo nomen frumenti, prout est genus ad triticum, hordeum, siliginem, spelatam, & similia; an nimirum qualibet ejus species possit esse materia sufficiens ad consecrationem, vel solus triticeus sit aptus ad illam? Item, an debeat esse azymus vel fermentatus? Gabriel enim & Cajetanus docuerunt panem ex quacumque specie frumenti factum, esse materiam aptam ad consecrationem. Eandem sententiam, excluso hordeo, sequitur Paludanus in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 4. ubi asserit aliquas Ecclesias consecrare in pane speltaceo. Græci autem schismatici putant esse de necessitate Sacramenti, quod panis sit fermentatus. Deum sunt aliqui, qui dixerunt, azymum esse materiam necessariam pro Latinis, fermentatum verò pro Græcis, ut indicat Glossa in cap. *Litteras*, de celebratione Missarum.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

1. Dico primò: Solus panis triticeus est sufficiens materia Eucharistiae. Ita D. Thomas hic art. 3. & in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. & habetur expressè in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi de hoc Sacramento dicitur: *Corpus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Nec rectè Cajetanus Concilium explicat de materia præcepti, non Sacramenti; aliàs enim sumibili-

dem dicit, materiam sanguinalis esse vinum de vite, & aquam naturalem esse materiam Baptismi, eodem modo responderi posset, loqui solum de materia præcepti; cum tamen nemo dubitet, vinum vitigineum esse materiam calicis, & aquam naturalem, materiam Baptismi, necessariam simpliciter, necessitate Sacramenti.

Ratio hujus conclusionis alia non est, quam Christi institutio, qui hoc Sacramentum instituit in pane usuali: Sed hic fit ex tritico, nam alius omnis substituitur in defectum hujus; unde nec panis simpliciter dici consuevit, sed cum addito panis hordeaceus, panis ex milio &c. Ergo solus panis triticeus est sufficiens materia Eucharistiae. Hac censetur Apostolica traditio, quam Ecclesiastica auctoritas confirmavit, ut testatur Catechismus Romanus.

Quanam autem grana triticum sint, de quibusdam certum est, de aliis dubium. De hordeo, milio, avena, & leguminibus, certum est non esse triticum, sicque ex illis non posse confici panem sacramentalem, seu qui sit materia sufficiens pro consecratione. De siligine verò & spelta, probabile est esse species tritici, propter affinitatem accidentium; maxime quia, ut periti testantur, illa in malis terris ex grano tritici seminato nascuntur, quod rectè D. Thomà hic art. 3. ad 2. signum est specificæ identitatis, quia semper generans generat sibi simile in specie. Unde etiam probabile est, panem ex spelta, vel siligine, esse posse materiam Eucharistiae; & qui in necessitate in tali pane consecraret, putà ne homo moriatur sine Sacramento, vel ut in die festo non maneat totus populus sine sacrificio) fortè excusari posset, ob probabilitatem hujus sententiæ, ut aliqui Theologi existimant. Sed ego non consulerem, quia præceptum Ecclesiæ est non consecrare materiam dubiam, & aliunde quod infirmus communicet vel quod populus Missam audiat, non est simpliciter necessarium ad salutem, & carentia panis triticeus ab obligatione præcepti excusat.

Dico secundò, in utroque pane azymo & fermentato, validè consecrari posse, convenientiorem tamen esse azymum.

Prima pars hujus conclusionis determinata est in Concilio Florentino, sess. ultima, in litteris sanctæ unionis, his verbis: *Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi, & rati- ter confici.* Itemque prius docuerat Leo IX. in Epistola ad Michaelem Cerularium, Patriarcham Constantinopolitanum, qui anno Christi 1050. damnare cepit Latinos, quod panes azymos consecrarent.

Ratio etiam suffragatur: Ad consecrationem enim corporis Christi, quilibet triticeus panis est idonea materia: Atqui sive fermentatus sive azymus fuerit, est verus panis triticeus; pane enim fermentato usu quotidiano vescimur, defectus autem fermenti in azymo, non impedit, quin veri panis triticeus naturam habeat, quandoquidem de ratione veri panis solum est quod conficiatur ex farina triticea, naturali aqua subacta, & puro igne coquatur: ergo quilibet panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus, est sufficiens & idonea materia Eucharistiae.

Confirmatur: Certum est Christum non consecrasse in albo & rubro vino simul, sed in alterutro tantum; & tamen, Græcis fatentibus, utrumque est materia apta consecrationi; quia utrumque est vinum simpliciter & usuale: Ergo similiter, cum uterque panis, sive azymus, sive fer-

mentatus, sit usualis, & veniat intelligendus nomine panis simpliciter, uterque est materia sufficiens & idonea ad conficiendum Corpus Christi. Unde absurda & ridicula est sententia, quæ asserit azymum esse materiam necessariam pro Latinis, fermentatum verò pro Græcis: quasi verò Christus Dominus pro una Ecclesia vel gente, unam materiam instituerit, & aliam pro alia: nam pari ratione posset dici, quod etiam pro Ecclesia Gallicana, vel Hispana, aliam materiam instituerit, quam pro aliis; quæ enim est major ratio, ut pro solis Græcis diverfam materiam Christus instituerit: cum solum unam Ecclesiam Catholicam instituerit, in qua non est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, ut dicitur ad Rom. 10.

10 Quod verò panis azymus sit convenientior (ut in secunda parte conclusionis asseritur) probari potest primò ex eo, quod Christus, cum primò *Art. 5* die Azymorum (ut disp. præcedenti ostensum est) Sacramentum Eucharistiæ instituerit, & consecraverit, pane azymo usus est; quandoquidem durante solemnitate Azymorum, quæ septem dies complectebatur, nullum fermentum, nec ullus panis, nisi azymus, in domibus Judæorum debebat reperiri, ut Exodi 12. præcipitur.

Addo quod, dato etiam & non concessio, quod Christus, ut volunt Græci, in celebratione Paschæ, legitimum ejus tempus, scilicet primam diem Azymorum, sive decimam quartam lunam, propter causam aliquam prævenire voluisset; consequens tamen non foret, eum fermentato in cæna ultima usum fuisse, sed azymo, quia sicut ipsius Agni Paschalis immolationem & esum observari voluit, ita & totum ejus ritum in lege præscriptum, qui inter alia habet, ut cum azymis & lactucis agrestibus comedatur, credendum est, ipsum observare voluisse.

11 Potest etiam suaderi eadem pars, hac ratione. Ille panis est materia convenientior ad consecrationem, qui magis congruit significationi proprietatum hujus Sacramenti: Sed talis est panis azymus in comparatione ad fermentatum: Ergo panis azymus ad consecrationem convenientior est. Minor verò probatur: quia in Scriptura azymum puritatem, candorem, simplicitatem, humilitatem, & incorruptionem denotat; quæ cum Christo in Eucharistia latenti, tum mystico ipsius corpori, propriè conveniunt; & contra verò fermentum, ut plurimum, in malam partem sumitur; significat enim hypocritism, Lucæ 12. *Attendite à fermento Phariseorum, quod est hypocritism; factum, quia panis fermento intumescit; & corruptionem, quia ad eam disponit panem, nec tam facillè panis azymus corrumpitur, quam fermentatus.* Quæ omnia eleganter tangit Apostolus 1. ad Corinth. 5. his verbis: *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit: expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitia & nequitia, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Sinceritatis contra peccati corruptionem; veritatis, contra figuras legis veteris, ut ibidem interpretatur S. Thomas. Vel sicut ipse addit, secundum Glossam, sinceritatis, propter innocentiam à vitiis, aut novitatem vitæ; & veritatis, propter bonorum operum justitiam sive rectitudinem designandam.

12 Fateor tamen, ipsum Græcorum morem cele-

A brandi in fermentato, suis congruentius non esse; nam (præterquam quod fermentum quando, licet raro, in Scriptura bene sonat, Matth. 13. *Simile est regnum celorum fermentum*) designare potest gratiæ suavitatem, pacem quæ sapidiorem efficit fermentum, & charitatis fervorem, quasi fermentum à fervore. In dictione quæ duo maxime Eucharistiæ conveniunt, azyme cum sit Sacramentum amoris, & spiritus suavitatis. Præterea, ut notavit sanctus Thomas 4. contra Gentes, cap. 69, Romana Ecclesia offert azymos panes, eò quod Verbum divinum sine ulla commixtione carnem suscepit; id Græci offerunt fermentatum, quia Verbum divinum est carne, & est verus Deus & verus homo, sicut & fermentum commiscetur farinæ.

Alia etiam rationabilis occasio motus hujus Græcorum introducendi exitit: cum enim Apostoli, & Ecclesia universa, uterentur azymis in consecratione, exorta est hæresis Hebræorum, contententium legalia simul cum Evangelio conservanda; in cujus erroris detestationem, SS. Patres voluerunt aliquandiu Sacramentum Eucharistiæ ex panis fermentato confici; extincta tamen hæresi illâ, Ecclesia Latina ad antiquum morem se recepit, Græca verò semel introductum tenuit, quem Latina non improbat, imò præcipit, ut unusquisque, juxta suæ Ecclesiæ ritum coneret; & prohibet, ne Latini in fermentato, nec Græci in azymo, corpus Christi consecrant: ut patet ex Decreto Eugenii in Concilio Florentino, in litteris unionis, & ex motu proprio Pii V. qui incipit, *Providentia Romani Pontificis*, anno 1565, ubi revocans omnes facultates vel licentias celebrandi, Græcos more Latino, & Latinos more Græco, subdit: *Quibusvis Presbyteris, tam Græcis quam Latinis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpenæ suspensionis à divinis panis, districtius inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci præsertim avaritiæ Latino more; & Latini, Græco ritu, hujusmodi sacramentum & facultatem, aut alio quovis prætextu, allegando, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant.*

Idem prius statuerat Leo IX. in epistola ad Michaëlem Cerularium, Patriarcham Constantinopolitanum, ubi monet, ut unusquisque juxta Ecclesiæ suæ ritum celebrare sinatur, etiam in alieno solo versetur: ut cum verbi grati Sacerdos Græcus transiret per loca Latinorum, aut in illis commoratur aliquandiu; vel cum Sacerdos Latinus inter Græcos peregrinatur: quia rituum hæc consuetudines, non tam sua diversorum locorum particularium, quam generales veritatis quæ Ecclesiæ: conveniens autem est, ut quilibet servet consuetudinem Ecclesiæ suæ, quando par illius est; tamen tunc potest, si velit, consistere se eorum ritui & consuetudini, inter quos peregrinatur, juxta caput illa autem, dicitur ex Ambrosio & Augustino sumptam. Communitè excipiuntur templa inter Latinos, Græci concessa, ut ibi propriam Ecclesiam habeant: in quibus, Græcis solum licet celebrare rita Græca, quia ibi non censentur Latini, neque ut peregrini. Similiterque in templis Latinorum, si quis in Græcia sunt, Latinis tantum licet celebrare ritu Latino.

Ex his intelliges, nec justum, nec laudabilem fuisse quorundam zelum, qui Archiepiscopum Trapez, Metropolitam Græcum, in Gallia celebrantem, & Parisiis non ita pridem defunctum, per

multos annos in azymis consecrare coegerunt; ut A enim patet ex decretis Leonis IX. & Pn V. jam re-
latis, non potest Sacerdos Græcus, transiens per
loca Latinorum, aut in aliis aliquandiu degens, cog-
niad servandis ritibus Ecclesiæ Latinæ, cum non sit
pars illius, sed ad Ecclesiā Græcam simpliciter
pertineat.

Quæres, an instante morte, & obligatione su-
mendendi vel ministrandi Eucharistiæ sacramentum,
vel ad suppleendum sacrificium, liceat Latino in
fermentato, vel Græco in azymo consecrare?

Respondeo in primo casu non licere, quia cum
realis & sacramentalis huius sacramenti susceptio,
non sit necessaria necessitate mediæ, sed præcepti,
non obligat nisi cum debitis circumstantiis, in qui-
bus potissima est materia ab Ecclesiā præcepta, si-
corne liceret in eo casu sacram facere, cum vesti-
bus non factis, aut non jejuno. In secundo tamen
casu id licitum esset, imò ad id teneretur Sacerdos;
quia majus præceptum est integritas sacrificii, cum
sit divinum, quàm determinatio materiæ, quæ est
humanum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem:
Frumentum est univocum ad omnes frumen-
tispecies, quæ sunt triticum, siligo, far, spelta, &
hordeum: Ergo & panis ex quocunque ex his granis
confectus, erit univocè & propriè panis, & per
consequens materia sufficiens Eucharistiæ, sicut
quia omne vinum de vite est univocum, quodli-
bet sufficit.

Confirmatur ex Cajetano: Sanguis ex diversis
cibis generatus est ejusdem speciei: Ergo & panis
ex diversis granis confectus.

Ad objectionem respondeo quòd licet frumen-
tum sit univocum physice ad omne frumenti spe-
cies, non est tamen univocum moraliter, eò quòd
pro pane usuali veniat solus panis triticus. Dispar
est ratio de vino, quia quodlibet vinum de vite,
etiam moraliter, & in ordine ad humanum usum,
est univocè vinum.

Ad Confirmationem, concessio Antecedente,
nego consequentiam & pariter: sanguis eximi
generatur ex cibis, ut ex termino à quo, panis verò
ex granis ut materia ex qua inexistente & compo-
nente, idè quæ licet ex cibis diversæ speciei, non ef-
ficiatur diversus specie sanguis, grana tamen diver-
sæ speciei, diversi in speciei panem efficiunt.

Obijcies secundò: Materia Eucharistiæ est ve-
rus panis: Sed panis azymus non est verus panis:
Ergo non est materia sufficiens Eucharistiæ. Ma-
jor patet, Minor probatur. Vox græca unde no-
men *ἄζυμος* derivatur, significat elevare seu attol-
lere: Sed massa farinæ non attollitur, nisi vi fer-
menti: Ergo solus panis fermentatus est verus
panis, non verò azymus.

Respondeo etiam apud Græcos nomen *ἄζυμος*
licet deriveur à verbo quod significat attollere,
aque tamen dici de pane azymo ac de fermenta-
to: Lucæ enim 24. ubi legimus, *Cognoverunt eum
in fractione panis*, habetur nomen *ἄζυμος*, quod
ibi non potest significare panem fermentatum;
quandoquidem non durante Paschali tempore;
per septem dies non poterat reperiri fermentum
in domibus Judæorum, ut ex 12. & 13. capite
Exodici constat.

Contra secundam partem ejusdem conclusionis 24.
objiciunt Græci Schismatici, Christum in pane
fermentato hoc sacramentum confecisse, quod pro-
bant, quia illud instruit die seu luna 13. mensis pri-
mi, in qua Judæi non utebantur azymis sed fer-
mentatis panibus. Sed huic objectioni abundè sa-
tisfecimus disputatione præcedenti, ubi variis Scri-
pturæ & SS. Patrum testimoniis demonstravimus,
Christum luna tantum 14. ad vespertam, cenam
Paschalem cum Apostolis celebrasse, & Eucharis-
tiæ sacramentum instruisse. Adde quod, quan-
vis daretur Christum, Agnum Paschalem die 13.
comedisse, consequens tamen non est, ipsum in
cenā ultimā fermentato usum fuisse, sed azymo;
quia (ut suprà dicebamus) sicut Agni Paschalis
immolationem & esum observare voluit, ita & to-
tum ejus ritum in lege præscriptum, qui inter alia
habet ut cum azymis & lactucis agrestibus come-
debatur, credendum est ipsum observare voluisse.

Obijcies ultimò: Panis fermentatus est aptior
ad cibandum hominem, idè quæ magis usualis
& communis: Ergo convenientior est ad confi-
ciendum sacramentum Eucharistiæ, quàm panis
azymus.

Sed nego consequentiam, quāvis enim fer-
mentatus sit magis utilis, & aptior ad cibandum,
azymus tamen aptior est ad usum hujus sacramen-
ti: Quia ut ait S. Thomas hic art. 4. in corp. *magis
competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad u-
sum hujus sacramenti: secundum illud 1. Corinth. 5.
Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epule-
mur in azymis sinceritatis & veritatis.*

ARTICULUS II.

*An solum vinum de vite sit materia
calicis?*

Non defuerunt Hæretici qui materiam remo-
tam sanguinis dixerunt esse aquam, qui pro-
pterea Aquarii dicti sunt; alii lac, ut refertur in
Concilio Bracharensi 3. alii mel. Cerrum tamen de
fide est, solum vinum esse materiam calicis, subin-
deque in nullo alio liquore distinguæ speciei à vino,
validam esse consecrationem, ut definit Florenti-
num, & confirmat traditio Ecclesiæ ab Apostolis
ad hæc usque tempora. Hujusque optima congru-
entia est, quia cum hoc sacramentum sit institutum
per modum convivii, non potuit sub convenienti-
ori materia instrui, quàm panis & vinum; quia sicut
hæc sunt cibus & potus corporis, ita sacramenta
sub eorum speciebus instituta, sunt cibus & potus
animæ.

Quod verò solum vinum vitis, propriè sit hu-
jus sacramenti materia, definit idem Florentinum
in decreto Eugenii, probatque D. Thomas hic art.
5. Primò quia Christus peracta hujus sacramenti
institutione, dixit Matth. 26. *Non bibam amodo
de hoc genimine vitis*, Ubi ly hoc designat materiam
quæ erat in illo calice: Ergo erat vinum de vite:
Secundò quia solum vinum de vite propriè & sim-
pliciter dicitur vinum, sicut solum oleum de olivis,
propriè & simpliciter vocatur oleum. Tertiò,
quia vinum vitis magis convenit effectui hujus sa-
cramenti, qui est spiritualis læticia, de illo enim dici-
tur Psal. 103. *Vinum lætificat cor hominis.*

Hinc colligitur primò cum eodem S. Doctore 24.
ibidem

ibidem in resp. ad 1. vinum malorum granatorum, A
aut pomorum, vel mororum, non esse materiam
hujus sacramenti, quia non est vinum de vite, Nec
acerum, quia non est vinum, sed vinum corrup-
tum; sicut cadaver non est homo, sed homo mor-
uus. Nec agresta seu succus expressus ex uva acer-
ba, quia nondum habet speciem vini, sed est in via
generationis, ut ait D. Thomas ibidem ad 3. Bene-
tamen multum, quia est simpliciter vinum de vi-
te, licet non perfecte purgatum & defacatum,
unde tale à Scriptura appellatur Acor. 2. *Musta
pleni sunt.* Potest etiam consecrari in succo expres-
so ex uvis passis, in quo fama est consecrare Aegy-
ptios, quia talis succus est vinum de vite, eoque per-
fectius, quo ab aqua humore purgatus. Nec ob-
stat quod uva ex quibus exprimitur sint passae, nam
hoc non variat succum intra folliculos contentum; B
secus si ob nimiam siccitatem opus esset ad expri-
mendum honorem nimia copia aqua, quia tunc
amitteret rationem vini communis & usualis. Ob
eamdem rationem non est idonea materia lora,
quae fit ex aqua injecta acinis, vel racemis in dolio
expressis, nisi illa sit in parva quantitate, quae con-
verti possit in vinum.

26. Colligitur secundò, vinum imbibitum in offa
panis, non esse aptum consecrationi, quia non habet
rationem potus, qualis debet esse materia
calicis.

Dices, Vinum consecratum in pane imbi-
bitum conservat Christi sanguinem: Ergo est aptum
consecrationi sanguinis.

Respondeo, concesso Antecedente, negando
Consequentiam: quia ad consecrationem requi-
ritur ut materia sanguinis possit initio consecra-
tionis demonstrari per modum potus: facta autem
consecratione, non est amplius necessaria talis de-
monstratio, sed sufficit si tantum retineat species
vini.

27. Colligitur terciò, succum inter folliculos uva-
rum inclusum, non esse aptam materiam consecra-
tionis, quia non est aliquid porabile, sed comestibi-
le: sicut in pomis & aliis fructibus continetur hu-
mor, qui exprimi posset in liquorem: & tamen
quandiu continetur in ipsis pomis, habet ratio-
nem cibi comestibilis, non liquoris potabilis:
materia verò calicis non debet habere formam ci-
bi, sed potus, juxta illud: *Bibite ex hoc omnes.*

28. Colligitur quartò, si vinum non sit totaliter
congelatum, sed solum in aliqua superficie, esse
materiam certam hujus sacramenti: si verò tota-
liter congelatum sit, & in duriciem versum, esse
materiam dubiam.

Prima pars hujus corollarii patet, quia vinum
illud ex tam parva congelatione neque amittit sub-
stantiam vini, neque formam potabilem, & facit
eisdem effectus quando sumitur, ac vinum non
congelatum: Ergo non est cur excludatur à ma-
teria sacramenti.

Secunda verò pars etiam constat ex contraria re-
te opinionum, quibus Authores inter se divisi sunt.
Nā pro parte affirmativa, quò dicit materia sacramen-
ti, stant plures gravissimi Theologi, ut Sylvester,
Soto, Angelus, Suarez, Vazquez & alii. Negati-
vè verò adherent Alanus, Ledesma, Armilla,
Nunno, & alii. Unde cum non liceat consecrare
in materia dubia, peccaret Sacerdos, quia vinum
totaliter congelatum consecraret. Si verò post
consecrationem congelaretur, debet liquefieri & sumi
cum reverentia, tanquam sanguis Christi, ut dicitur
in cap. in sacramento, de Consecrat. dist. 2.

ARTICULUS III.

An & quo jure admiscenda sit aqua vino
consecrando?

Fuit error Armenorum, ut constat ex de-
cretis Eugenii IV. in Concilio Florentino, &
quam non esse vinò consecrando admiscendam
quem sequuntur Hæretici nostri temporis. Ar-
canus verò lib. 9. de questionibus Armenorum
cap. 9. existimat mixturem illam necessarium
necessitate sacramenti, subindeque si Sacerdos
quam in calice apponere obliviscatur, non censet
sacramentum. Alii verò Theologi communiter
docent, talem mixturem solum esse de necessitate
præcepti, licet dissensio sit inter illos, an tale
ceptum sit divinum, vel solum Ecclesiasticum.

Dico primò, vino consecrando admiscendum
esse aquam, in modica quantitate.

Primo pars hujus conclusionis est omnino cer-
ta, utpote in variis Conciliis definita, præsertim
in Florentino in decreto Eugenii, & in Tridentino
sess. 22. cap. 7. ubi dicitur, *Monet sancta Synodus
præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam
vino in calice offerendo misceant.* Et citatur
Concilium Carthaginense 3. cap. 14. & An-
tenne 3. cap. 1. Vident enim possunt aliter
jura, de Consecrat. dist. 2.

Hujus sacræ ceremoniæ triplicem redditur
rationem prædicta Concilia, & D. Thomas lib. 6.
6. Prima est, ob imitationem Christi, qui
vino aqua permixto, hoc sacramentum indigne
creduer, asseriturque in liturgiis D. Jacobi Ap-
stoli & S. Basilii, & testatur Clemens Romanus
lib. 8. Constit. cap. 17. his verbis: *Similiter et
calicem miscens ex vino & aqua, & sanctificans,
tradidit eis dicens: Bibite ex hoc omnes.* Secunda
ob representationem passionis ejus, in qua aqua
simul cum sanguine exaltare ejus erit. Tertia
ob significationem effectus hujus sacramenti, qui
est unio populi fidelis cum Christo capite. Vinum
enim significat Christum, seu sanguinem ejus, a
qua verò populorum symbolum est, juxta illud de-
pocal. 17. *Aqua quas vidisti, populi sunt & gentes.*
Unde Hieronymus homil. de corpore Christi: *Cum
in sacramento aqua vino miscetur, Christus & popu-
lus incorporatur, & quadam quasi copula perfectæ
charitatis unitur, ut possit dicere cum Apostolus, qui
nos separabit à charitate Christi? sunt enim aqua
semel permixta vino, non potest ad suam relativam
stantiam, nec à vino separari; ita fideles inter quos
si inseparabilia membra, capiti uno, id est Christo, sunt
observant, & ardentissimè religione sociati.* Ad-
dunt aliqui, mixturem illam conventum esse
ad significandum saltem seu tendentiam trahentem
in vitam æternam: juxta illud Ambrosii lib. 4. de
sacram. cap. 1. *Redundat aquam in calicem, & fit
in vitam æternam.*

Secunda etiam pars est D. Thomæ hic art. 2. in
argumento sed contra, & patet, quia si modicum
quæ infunderetur calici, periculum esset ne vinum
corrumperetur, & in mixtum distinctum se
generaret, quod non esset idonea materia conse-
crationis. Et licet in Concilio Tridentino cap. 10.
dicatur, *Quòd aqua parvi sint vini, tamen*

quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tamen postea in Concilio Florentino, in decreto pro Armenis, multo minor quantitas designatur; dicitur enim materiam calicis esse vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet. Unde quanto minus de aqua miscetur, tanto melius fit, & conformius mandato Ecclesiae, quia ly modicissima, significat id quod minimum esse potest in parvitate, dum tamen gutta illa aquae sit sensibilis, quia videri debet, ut constet quod sit infusa.

Dico secundò, mixtionem illam non esse necessariam necessitate sacramenti, sed solum necessitate praecepti, non Divini, sed Ecclesiastici.

Prima pars constat, materia enim calicis sufficienter salvatur in solo vino, quia Christus Dominus solum illud designavit in calice, dum dixit Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vita.* Et Concilium Florentinum in decreto pro Armenis, declarans materiam calicis solum dixit, illam esse vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua misceri debet: quo genere loquendi significat materiam solum esse vinum de vite, mixtionem verò aquae pertinere solum ad conditionem, seu caeremoniam quandam accidentalem, non ad materiam sacramenti. Unde Catechismus Pii V. cap. de Eucharistia, postquam dixit mixtionem illam non posse praetermitti sine peccato mortali, subdit: *Si aqua desit, perficitur Sacramentum.* Similiter de consecrat. dist. 2. Can. 1. sic habetur: *Sivinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse.*

Nec obstat quod Cyprianus lib. 2. Epist. 3. ait, nempe non posse consecrari aquam solam, neque vinum solum, sed utrumque permixtum: hoc enim intelligi debet de necessitate praecepti, non de materia, *Eis qui sine mixtione aquae interdum consecrunt posse veniam concedi, quo indicat, male quidem fecisse, sed non invalidum sacramentum consecrassisse.*

Dices, Idem S. Doctor ibidem ait: *Sic calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi utrumque miscetur, quomodo nec corpus Domini potest esse sola farina, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum:* Sed mixtio aquae cum farina est de necessitate hujus sacramenti, ut constat ex dictis art. 1. Ergo & mixtio aquae cum vino.

Respondeo cum S. Thoma hic art. 7. ad 1. *Quod verbum Cypriani est intelligendum secundum quod dicitur, illud esse non posse, quod convenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantum ad id quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem; nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.*

Secunda pars conclusionis, quae asserit praeceptum miscendi aquam vino consecrando, non esse divinum, sed Ecclesiasticum, colligitur ex Tridentino supra citato, dicente *Praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Ubi hoc praeceptum non dicitur Divinum, sed Ecclesiasticum. Et Florentinum non reprehendit Armenos omittentes hanc mixtionem, eo quod agerent contra praeceptum divinum, sed contra communem Ecclesiae consuetudinem, Alexander quoque I. Epist. 1. cap. 4. & Concilium Triburense cap. 19. mixtionem aquae solum à Patribus traditam esse dicunt. Sancti autem Patres, praesertim Cyprianus, ideo vocant interdum hanc mixtionem, Traditionem Dominicam, quia Christus, ejus exemplum dedit, etsi non praeceptum. Sicut ergo

Tom. V.

A Christus, licet in azymo consecraverit, reliquit tamen arbitrio & praecepto Ecclesiae determinandum, an in azymo vel fermentato Sacerdotes consecrare debeant; unde etiam Graeci consecrant in fermentato, Latini verò in azymo; imò & ipsis Latinis, ad evitandam haerese Ebionitarum, aliquando (ut supra annotavimus) praeceptum fuit consecrare in fermentato. Ita potuit Christus, quando hoc sacramentum instituit, aquam vino consecrando miscere, & nihilominus hanc caeremoniam arbitrio Ecclesiae relinquere sub praecepto servandam. Ex quo

Inferes primò, posse in hoc praecepto, urgente causa, ab Ecclesia dispensari. Secundò, posse Sacerdotem, si desit aqua, consecrare in solo vino, ad perficiendum sacrificium inchoatum, quia integritas sacrificii est de jure divino; non tamen illud inchoare, quia melius est illud omittere, quam peragere sine debitis circumstantiis & caeremoniis. Tertio, non satis esse aquam miscere vino in dolio, vel vase, sed misceri debere in ipso calice continente vinum, & in ipsa celebratione Missae. Quod si per oblivionem non fuerit ante offertorium mixta, debet statim misceri, sine oblatione; non est tamen miscenda post consecrationem, quia tunc cessat significatio & tempus praecepti. Inferes demum, mortaliter peccare Sacerdotem, hanc caeremoniam ex industria, vel ex negligentia omittentem: nam

C licet permixtio aquae modicissimae, secundum se absolute res parva & levis sit; mysterium tamen & significatio magna est; significat enim, ut supra diximus, unionem populi Christiani cum Iesu Christo.

ARTICULUS IV.

Utrum aqua infusa calici consecrando, immediate convertatur in Christi sanguinem; vel prius debeat converti in vinum, quam in sanguinem?

Errum est aquam infusam calici consecrando, converti in sanguinem Christi, ex vi verborum sacramentalium, & non remanere in propria specie, nec converti in aquam quae fluxit de latere Christi, ut communiter docent Theologi contra nonnullos Autores, quorum opinionem refert & refellit Innocentius III. in cap. cum Marthe, de celebratione missarum. Sed an haec conversio sit immediata, vel solum mediata, celebris est difficultas & controversia inter Theologos. Aquam enim infusam calici, immediate verti in sanguinem Christi, docent plures ex Recentioribus, inter quos praecipui sunt Agidius Coninck, Toletus, Alanus, Salmeronius, Delugo, Layman, Bernal, & Baronius in fine anni 1188. affirmans id esse de fide, semperque ita creditum fuisse in Ecclesia. E contra celebriores Theologi tum è Schola D. Thomae, tum è Societate Jesu, censent aquam illam non converti in sanguinem Christi, nisi mediate, ita quod prius debeat converti in vinum; subindeque si in aliquo casu, per accidens tempore consecrationis non sit in vinum conversa, non converti in Christi sanguinem, sed in propria aquae natura remanere. Pro hac sententia, erudita scripserunt opuscula ex nostris Hyacinthus Petronius, primum Sacri Palatii Apostolici Magister, postea Episcopus Morulensis, & Hyacinthus Choquetius, Doctor Lovaniensis, cujus

Ff

opuscu-

opusculum, continens viginti duo capita, habetur in fine tomi primi de gratia. Ex aliis verò, Guillelmus Estius, libro orationum Theologicarum, orat. 15. 16. & 17. & Basilius Pontius, Augustinianus, primarius Salmanticensis. Demum Catechismus Pii V. cujus verba infra referemus, dicit hanc esse omnium Ecclesiasticorum Scriptorum sententiam. Unde excessit Baronius, cum dixit aliam sententiam esse de fide, semperque receptam fuisse in Ecclesia.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

39. **D**ico igitur, aquam infulam calici consecrando, non converti in sanguinem Christi, nisi prius fuerit conversa in vinum.

Probatur primò authoritate Innocentii III. in cap. cum Martha, ubi ab Archiepiscopo Lugdunensi interrogatus, utrum aqua infula calici converteretur in sanguinem Christi: Relatis tribus sententiis, quarum prima dicebat, aquam illam converti in eam quæ manavit ex latere Christi; Secunda, quòd aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat, mixta vino, licet Physici contrarium asserant, quiaquam à vino per artificium separari posse contendunt; Tertia verò dicebat, aquam nullo modo converti in sanguinem, sed manere in propria specie: Pontifex elegit secundam opinionem ut probabilior, dicens: *Verum inter opiniones predictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Ergo cum hæc sit secunda, & rationem asserat cur aqua in sanguinem Christi transubstantiatur, quia in vinum transit; existimavit Pontifex, probabilius esse aquam non transubstantiari in Christi sanguinem, nisi prius in vinum conversam.

40. Respondet Ægidius Coninck, secundam opinionem quam refert Pontifex, fuisse bimembrem; ita ut ex his qui tenebant aquam converti in sanguinem, aliqui assererent immediate converti, alii verò non nisi mediata, supposita prius ejus in vinum transmutatione: declarans verò Pontifex, quamam verior sit sententia, approbat (inquit) secundam quantum ad hoc quòd in illa asseritur, aquam converti in sanguinem; unde non nisi quantum ad hoc reassumpsit Pontifex secundam opinionem, per hoc indicans se abstrahere an immediate vel mediata convertatur; imò ex hoc quòd dicit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, videtur magis inclinari in eam quæ censet aquam tempore consecrationis in propria specie existentem, converti immediate in sanguinem; si enim jam conversa esset in vinum, non aqua cum vino, sed solum vinum in sanguinem converteretur.

1. Sed contra: Falsum est secundam opinionem quam refert Pontifex fuisse bimembrem, quin imò particulam causalem, cum in vinum transeat, significatur secundam sententiam censere, idè aquam converti in sanguinem, quia prius convertitur in vinum; unde D. Thomas hic art. 8. referens secundam illam sententiam, sic habet: *Ideo sicut ipse (Innocentius) dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem.*

42. Addo quòd ipse Pontifex clarè mentem suam expressit lib. 4. de altaris mysterio cap. 3. in his verbis: *Aqua transit in sanguinem, eà scilicet ratione quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem in sanguinem; quis enim ambigat*

A *aquam in vinum transire, cum multo magis aqua infula funditur.* Nihil potest dici quod probandum hunc Pontificem stare pro sententia, & ad convincendum secundam sententiam quam in supra dicto rescripto tenet, & probabilior judicavit, non esse bimembrem, sed unicam, eamque asserere aquam converti in sanguinem; ex eo quòd prius convertitur in vinum. Unde omnes Catechistæ de decretalem illam interpretati sunt, ita ut colliguntur. Ad id verò quòd Ægidius addit pro confirmanda sua solutione, patebit ex solutione argumentorum.

Probatur secundò conclusio authoritate Catechismi Romani, qui in tractatu de Eucharistia cap. 4. hæc scribit: *Illud autem sacramentum non vertendum est, quemadmodum in sacra missa, quam vino adhiberi oportet, sic etiam modicam aquam addendam esse, nam Ecclesiasticorum scriptorum sententia & iudicio, aqua illa in vinum convertitur.* Quod nihil clarius & expressius in favorem nostræ sententiæ dici potest.

Probatur tertio ex Florentino in decreto unionis Armenorum, in quo jubet Pontifex modicissimam aquam ante calicis oblationem esse vino admiscendam; ad quam rem sententiam aqua esse vino admiscendam: At ostendit Armenos, qui hanc caeremoniam non servabant, & corrigi quòd Concilium Triburien. provinciale cap. 19. statuerat, nempe tertiam partem aquæ esse vino admiscendam: At ostendit ex causa moveri potuit ad hoc, nisi qui censu- mabat, aquam non prius in sanguinem, quam in vinum converti, subindeque præceptum modicissimam esse admiscendam, ut facilius posset ante consecrationem in vinum converti: In hoc censet Concilium, aquam infulam calici consecrando, non converti in sanguinem Christi, nisi prius fuerit conversa in vinum. Minor probatur.

Non enim moveri potuit Concilium ad præcipiendum modicissimam aquam vino consecrando admisceri, & corrigendum decretum Concilii Triburien. nisi vel quia tertia pars aquæ quam Concilium illud esse vino consecrando admiscendam statuerat, destitueret potius vinum; vel quia factò Christi conformis est modicissimam quam tertiam partem aquæ vino miscere; vel denique quia hoc magis convenit mysticæ significationi, tum aquæ ex latere Christi profluentis, tum unionis populi fidelis cum Christo: Sed nullà ex his rationibus ad hoc moveri potuit Concilium: Non quidem prima, cum adhuc tertia parte aquæ vino admixta, minus potius usualis vini, ut Adversarij non negant, alioquin decretum Triburien. intellegendum continisset errorem, nullalque qui seculis decreto conformasset, consecrasset. Nec secunda, cum potius in sententia Adversarij concilio Christi conformis sit tertium partem aquæ miscere; eò quòd (ut ipsi ajunt) Christus non potu usus est, quæli solebant Judæi, qui non vinum partem aquæ vino miscabant, immo potentius ac generosius, quale ea regio fert. Neque tertia, nam ad significationem mysticam aquæ ex latere Christi profluentis convenit modicissimam partem aquæ miscere, non modicam, ut cum sanguine ex latere Christi profluentis colligitur ex illo Joan. 19. Continuum est colligere quod & qui vidit, rescriptum probat corporeo visu aquam à sanguine differens.

Similiter mystica significatio unionis populi fidelis

41. fidelis cum Christo æque benè potest per notabilem ac per modicissimam aquam exprimi; modo ad denotandam maiorem Christi sanguinis virtutem, vinum excedat aquam, quia maior est (inquit Triburiense citatum) *majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi*. Restat igitur, ut finis Florentini propter quem Triburiense correxit, fuerit, quia iudicavit aquam prius convertendam esse in vinum, quam in sanguinem.

42. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Si aqua non prius in vinum conversa fieret sanguis Christi, sequeretur quod in æquali, imò & in maiori quantitate vino admixta, converteretur in Christi sanguinem: Sed hoc dici nequit, ad quid enim deserviret tanta cura Ecclesiæ præcipientis sacerdotibus modicissimam aquam vino consecrando admiscere, si æque bene potest converteri in sanguinem Christi aqua, etiam si non sit modicissima, sed in æquali vel maiori quantitate ac vinum, dummodo illud non corrumpat, sicut defacto non corrumpit, quando vinum est potens & generosum; quia vinum fortius est ad resistendum aquæ, quam è converso; unde ut vincatur ejus resistentia, maxima pars aquæ requiritur: Ergo &c.

43. Respondet Egidius, negando sequelam, quia (inquit) ut aqua sit consecrabilis, debet ita à maiori quantitate vini absorberi, ut appareat conversa in vinum, licet de facto in vinum non sit conversa. Sed quero ab eo, unde habeat quod licet non sit necessarium aquam converti in vinum, ipsa tamen apparere debeat conversa, ut possit consecrari? Deinde, Apparentia conversionis rosæ calicis liquoris vino admixti, non facit quod ille liquor remanens in propria substantia sit consecrabilis: Ergo neque apparentia conversionis aquæ in vinum, efficit quod aqua in sua substantia remanens possit consecrari.

44. Dices cum Egidio, disparē esse rationem, cum aqua rosæ vino admixta, non sit materia hujus sacramenti, bene tamen aqua naturalis. Sed contra primò, Scriptura, Concilia, & SS. Patres asserunt materiam hujus sacramenti esse genimen vitis, vinum de vite &c. Ergo temerarium videretur asserere aquam naturalem vino admixtam, ad materiam & integritatem hujus sacramenti pertinere.

Neque valet si dicas, Scripturam, Concilia, & SS. Patres, nomine vini quod dicunt esse materiam hujus sacramenti, intelligere vinum cui modicissima aqua infunditur, cum tale vinum sit potus usualis. Non valet (inquam) tum quia verba Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, proprie accipi debent, maxime cum de institutione vel materia alienius sacramenti sit sermo; sic enim nomen panis, quod frequenter usurpatur in Scriptura pro quocumque cibo, debet proprie accipi pro substantia quæ conficitur ex tritico, quando dicitur materiam hujus sacramenti esse panem: Sed vox illa vinum, non significat proprie nisi liquorem ex uvis expressum: Ergo solus ille liquor potest dici materia hujus sacramenti. Tum etiam quia vinum quod est potus usualis, est vinum limphatum, seu mixta aqua dilutum: Ergo si nomine vini intelligi debeat vinum pro ut est potus usualis hominum, quando à Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus dicitur materia hujus sacramenti, sequitur non solum vinum cui modicissima aqua infunditur, sed etiam vinum limphatum, & mixta aqua dilutum, esse hujus sacramenti materiam, quod est erroneum, &

Tom. V.

A decreto Eugenii repugnans, cum in eo dicatur materiam hujus sacramenti esse vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet.

Contra secundò, illud solum est materia Eucharistiæ, quod à Christo institutum est pro illius materia: Sed aqua, etiam ut vino mixta, non est instituta à Christo ut materia Eucharistiæ, quia aqua non miscetur vino nisi tantum ex præcepto Ecclesiæ, ut patet ex verbis Tridentini articulo præcedenti relatis, & communiter doceat Theologi contra Armacanum: Ergo aqua, etiam ut mixta vino, hujus sacramenti materia dici nequit.

B Dices, Ecclesiam non instituisse illam aquam mixtam pro materia sacramenti, sed Christum instituisse ut id quod Ecclesia misceret, esset materia consecrationis.

Sed contra est, quia in designandis materiis sacramentorum, Christus nihil Ecclesiæ commisit, sed solum circa usum & administrationem illorum, ut constat ex Tridentino sess. 21. in principio. Sed materia maxime pertinet ad substantiam sacramentorum: Ergo illius designatio non est commissæ Ecclesiæ, nec voluntati Ecclesiæ relictum est, quod si præciperet miscere aquam, esset materia, si non præciperet, non esset; alias simili modo posset dici, quod si oleo misceretur alius liquor pro Extrema Unctione, etiam talis liquor redderetur materia hujus sacramenti, quia sic instituit Christus. Vel sal, quatenus aqua Baptismi, ex ordinatione Ecclesiæ miscetur, materia Baptismi dici poterit.

Neque obstat si dicas, quod Christus designavit pro materia matrimonii illum contractum quem Ecclesia validum esse decreverit: Ergo etiam potuit designare pro materia calicis illud quod Ecclesia præceperit & ordinaverit calici infundi. Hoc enim exemplum nullo modo quadrat, quia Christus designavit pro materia matrimonii contractum alias validum secundum naturam & leges talis contractus; unde conditio adjecta per Ecclesiam, ut contractus sit validus, non mutat materiam, neque facit ut id quod non est contractus sit materia sacramenti, sed solum ponitur illa conditio ad producendum in rerum natura verum & validum contractum secundum approbationem legalem: aqua autem non infunditur vino, ad hoc ut vinum reddatur verum ac proprium vinum, sed solum propter significationem mysticam; ideoque si non convertatur in vinum, non potest ab Ecclesia fieri materia sacramenti Eucharistiæ, ut rectè discit Joannes à S. Thoma hic art. 3.

Ex his facile deduci potest ratio præcipua & fundamentalis nostræ sententiæ: Illud enim solum convertitur immediate in sanguinem Christi, quod est materia consecrationis calicis: Sed solum vinum est hujusmodi: Ergo solum vinum immediate convertitur in sanguinem Christi; subindeque aqua infusa calici, non convertitur in sanguinem Christi, nisi fuerit conversa in vinum. major est evidens, ideo enim aliquid dicitur materia consecrationis, quia ejus substantia per verba consecrationis immediate transit in substantiam corporis aut sanguinis Christi. Minor verò patet ex jam dictis, ostendimus enim ex Conciliis & SS. Patribus solum vinum esse materiam Eucharistiæ, non verò aquam etiam ut ei admixtam, nisi prius fuerit conversa in vinum.

Nec valet quod ait Egidius, Concilia, & SS.

Ff 2

Patres

Patres, dum ajunt solum vinum esse materiam consecrationis calicis, loqui de materia necessaria: aquam verò infusam calici, non esse materiam necessariam, sed liberam, & ex præcepto & ordinatione Ecclesiæ alteri adjunctam. Nam ut suprà dicebamus, materia cujuslibet sacramenti, siue sit necessaria, siue libera, à Christo fuit instituta; non verò ab Ecclesia, quæ non habet potestatem, nisi ad instituenda sacramentalia: admixtio verò aquæ vino consecrando, non est de institutione Christi, sed solum de præcepto Ecclesiæ. Adde quod distinctio materia necessaria & libera, solum admittitur à Theologis in sacramento poenitentiae, in quo peccata venialia dicuntur materia libera; quia non debent necessariò aperiri in confessione, ut subsistat sacramentum poenitentiae, illa tamen sola sufficere potest, quando non adest alia.

53. Denique suaderi potest conclusio, ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia, nimirum quòd possit sanguis sub solis speciebus aquæ à vino separatis remanere: Sed hoc videtur absurdum, & Tridentini doctrinæ repugnans, ut patebit ex infrà dicendis: Ergo, &c. Sequela Majoris, etsi ab Adversariis negetur, videtur tamen manifesta, potestque probari, quia juxta Adversariorum sententiam, per hoc quòd aqua admiscetur vino, non convertitur in ejus substantiam, sed remanet in propria specie, toto tempore antecedente consecrationem, cujus evidens indicium esse putant, quòd per artem potest hujusmodi aqua à vino separari: quod si sit verum, fatendum necessariò est, species aquæ post consecrationem esse à speciebus vini separabiles, cum ipsa substantia aquæ non sit separabilis à substantia vini, nisi ex eo quòd accidentia utriusque substantiæ sunt ab invicem separabilia. Quòd ergo hæc supposita separatione, sanguis Christi esset sub speciebus aquæ, sic ostenditur. Vel illa species sic separata, continerent aliquam substantiam modo sacramentali, vel alicui substantiæ inhererent, vel subsisterent sine ulla substantia, nulli inhærendo, & nullam continendo: neque enim est alius modus excogitabilis quo species illæ possent se habere. Tertium horum est prorsus absurdum & inauditum: si autem dicatur primum, habetur intentum, quia non possunt aliam substantiam modo sacramentali continere, nisi eam in quam fuerunt substantialiter transmutata, scilicet sanguinem Christi. Secundum verò non potest sustineri, quia nulla talis substantia potest rationaliter excogitari, cui species illæ inhæreant. Quæ enim? Non illa eadem numero quæ erat antecohsecrationem, quia contradictionem implicat, quòd idem numero viribus natura reproductur, maximè per solam separationem quæ contingit in proposito. Non etiam substantia ejusdem speciei, quia nulla potest assignari causa, nulla actio talis substantiæ productiva; sola enim separatio non habet hanc vim; imò nunquam contingit aliquam substantiam succedere in locum alterius ejusdem speciei. Non denique substantia diversæ speciei, quia facta illa separatione remanent accidentia aquæ, quæ tamen non possunt naturaliter esse cum substantia distinctæ speciei.

54. Confirmatur: Species continentes corpus aut sanguinem Christi, tandiu alterum ex illis continent, quandiu substantia conversà sub illis manserit, ut expresse docet Tridentinum sess.

A 13. can. 3. Sed per solam separationem aquæ à vino, non destrueretur substantia aquæ: Ergo species aquæ continent sanguinem Christi, in congruentur cum speciebus vini, eundem enim continebunt, facta separatione à speciebus vini.

Hæc argumenta adeò manifeste lunt, & tam evidenter probant sequelam Majoris præceptis, ut Egidius Goninck, qui illam negaverat, respondens ad auctoritatem illam Tridentinam, aliud latius se verat, neque Minorcm, alio rens probabiliter sustineri posse sanguinem Christi remansurum sub speciebus aquæ separatis.

Verùm Minor illa probatur primo ex I. dno citato, dicente post consecrationem manere duntaxat species panis & vini, & sub illa corpus & sanguinem Christi: Ergo non remanent species aquæ sub quibus continebatur sanguis Christi.

Secundò, Si sub speciebus aquæ separatis contineretur sanguis Christi, sequeretur solam species aquæ posse consecrari, quod est hæreticum. Sequela probatur: Quidquid est capax terminum alicujus actionis, est etiam capax denominationis ab illa actione: Sed consecratio se habet ad sanguinem Christi, sicut actio & effectus suum terminum: Ergo illud quod sortum à vino est capax continendi sanguinem Christi, potest etiam separatim à vino consecrari.

C Tertio, Si sub speciebus aquæ separatim sanguis Christi contineretur, aqua, seu species aquæ, pertinerent ad essentiam hujus sacramenti, subindeque admixtio aquæ esset de necessitate sacramenti, & non tantum ex institutione & præcepto Ecclesiæ: Sed hoc dici nequit: Ergo, &c. Minor patet ex dictis contra Armacum articulo præcedenti, sequela verò Majoris probatur. Illud pertinet ad essentiam hujus sacramenti, cui convenit significatio sacramentalis. Sed si sub speciebus aquæ separatim sanguis Christi contineretur, illis significatio sacramentalis competeret: Ergo tales species ad essentiam hujus sacramenti pertinerent. Major patet, Minor probatur. Ideò species vini significantur tantum ad modum spiritualis potus animam exaltantis, quia sanguinem Christi realiter continent. Ergo si sub speciebus aquæ separatis, sanguis Christi continetur, illis pariter significatio sacramentalis conveniet.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objectiones primò: SS. Patres communiter & indistinctè docent aquam & vinum coconsecrari, & consecratione in sanguinem Christi converti. Sed hoc esset falsum, si aqua non converteretur in sanguinem Christi, nisi prius esset conversa in vinum: Ergo dicendum est, aquam infusam calici, immediatè in sanguinem Christi converti. Minor videtur manifesta, quod enim non est tempore consecrationis, non potest dici consecrari, aut in sanguinem converti: Sed si aqua debeat prius mutari in vinum, non erit tempore consecrationis: Ergo falsum erit dicere quòd aqua consecratur, & consecratione in sanguinem Christi convertatur. Major verò ex vi SS. Patrum testimoniis declaratur: Ambrosius enim lib. 4. de sacram. hæc scribit: *Patet aqua in calicem mittitur, sed sit sanguis consecratione verbi celestis.* Et cap. 3. *Aut verba Christi calix est vini & aqua plenus: non verba Christi fuerint, ibi sanguis efficitur.* Damascenus lib. 1. c. 1. c. 1. c. 1.

fidei cap. 14. Ex pane corpus, & ex vino & aqua
(Christus) sanguinem suum efficit. Alia profert te-
stimonium Baronius ad Annum 1188. quæ diffi-
cultas videtur. Refert enim verba Paschalis lib.
de corpore & sanguine Christi cap. 11. dicentis:
Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed ver-
tatur in sanguinem. Et Petri Blesensis tractatu de
Eucharistia cap. 14. Post consecrationem sanguis
bibitur, quia in sanguinem demutatur aqua. Idem
docet Hidelbertus apud eundem dicens: Aqua
in sanguinem vertitur. Demum idem confirmat
Algerus ibidem, his verbis: Licet in mensa Domi-
ni tria consuevantur munera, sunt tamen duo per quæ
sacrificatur, est aqua mixta prius vino, sed quando
sacratur, non nisi sanguis erit. Ergo SS. Patres
communiter docent, aquam & vinum consecra-
ti, & consecratione in sanguinem verti.

Respondet concessa Majori, negando Mino-
rem, & ad ejus probationem dico quod ut aqua
dicatur consecrari, & in sanguinem Christi con-
verti, non est necesse quod ipsa sit formaliter
tempore consecrationis; sufficit enim quod sit
materialiter, id est quod materia quæ est sub
forma vini, fuerit sub forma aquæ; sicut à simili
alimentum dicitur converti in substantiam aliti,
quamvis tempore quo fit hæc conversio, non sit
alimentum formaliter, ex eo quod per varias al-
terationes & corruptiones prius fuit corrupta
forma ipsius alimenti. Sic etiam Joan. 2. archi-
trichinus aquam jam factam vinum, appellat a-
quam per ampliationem; & Exodi 7. dicitur:
Devoravit virga Aaron virgas eorum, quod intelli-
gendum est de virga conversa in colubrum. Ita
ergo in proposito aqua potest dici converti in
sanguinem Christi, per ampliationem, quia illud
quod erat aqua, seu illud in quod aqua est trans-
mutata, convertitur in sanguinem Christi.

Obijcies secundò: Christus in vino aqua mix-
to creditur consecrasse, ut dicit Tridentinum
sess. 22. cap. 3. Sed non est verisimile tam brevi
tempore illam aquam prius conversam fuisse in
vinum, quam in sanguinem: Ergo immediatè
in sanguinem Christi transmutata est. Minor
probat: Christus non consecravat apponen-
do aquam modicissimam, quia miscuit aquam
propter observationem temperantiæ, & con-
suetudinem illius regionis; esset autem ridicu-
lum propter temperantiæ modicissimam a-
quam, unam scilicet guttam, vino infundere:
Sed multa aqua non potuit brevi illo tempore
quod inter consecrationem corporis & sangui-
nis sui Christus interposuit, in vinum converti:
Ergo nunc non fuit prius conversa in vinum,
quam in sanguinem.

Simile argumentum desumi potest ex Concilio
Tuburiensi: nam olim ex decreto hujus Conci-
lij, tertia pars aquæ miscbatur vino consecran-
do: At verisimile non est, vel aquam illam con-
versam fuisse in vinum, antequam conversa fuis-
set in sanguinem; vel remansisse in sanguinem
non conversam, nam hoc modo data fuisset po-
pulo occasio idololatriæ & adorandi aquam
puram in calice unâ cum Christi sanguine con-
tentam: Ergo &c. Idem argumentum & incon-
veniens currit in alijs duobus calibus qui non
raro contingunt; quâdo scilicet sacerdos paulò
ante consecrationem advertit non fuisse tempore
oblationis calici appositam aquam, vel quando
in ipsa sumptione advertit loco vini fuisse purâ
aquam; nam in utroque illo casu præcipit rubrica
ut sacerdos apponat aquam, & statim consecret;

Tom. V.

tunc enim in brevi illo tempore aqua non potest
converti in vinum: nec remanet in propria spe-
cie, alioquin, ut dicebamus, daretur populo oc-
casio idololatriæ, nec posset verificari forma ca-
licis; nam pronomen *Hic* cadit supra totum
quod in calice continetur; & sacerdos illam a-
quam simul cum sanguine sumens, non maneret
jejunos, atque adeò non posset aliam missam cele-
brare: Ergo saltem in illis casibus, aqua immo-
diatè in sanguinem Christi convertitur.

Respondet Christum Dominum, cum evi-
denter & comprehensivè cognosceret, quando
aqua esset conversa in vinum, etiam si plus aquæ
infunderet quam nos, tamè quando cōsecravat,
jam aqua erat conversa in vinum. Addo quod
Christus expectavit ut esset finita cœna ad con-
secrandum calicem, cum tamen panem durante
cœnâ consecraverit, juxta illud Matth. 26. *Cœ-
nantibus illis accepit Jesus &c.* & sic sufficiens tem-
pus transit ut aqua illa converteretur in vinum.
Deinde etiam non constat Christum Dominum
non infudisse aquam in modica quantitate, quia
licet regulariter limphatum vinum in magno
temperamento biberet, tamen tunc quando cō-
secravat, non est usus vino mixto, modo usuali,
temperantiæ causâ, sed ob significationem my-
sticam, & propter mysterium: unde post con-
secrationem calicis dixit illud esse de genimine
vitis, ut intelligeremus, quod licet infudisset a-
quam, tunc tamen totum illud erat vinum.

Dices, Illud vinum quod tunc Christus con-
secravat, erat vinum usuale: Sed vinum usuale
non est vinum purum, sed vinum limphatum,
seu multâ aquâ dilutum: Ergo Christus non
consecravat vinum cui infusa esset aqua in mo-
dica quantitate.

Respondet vinum limphatum esse usuale, si
taliter sit mixtū, quod sit conversum in vinum;
si verò non sit conversum, sed fiat quoddam ter-
tium ex vino & aqua, non est vinum usuale, licet
potus usualis dici possit: aliud enim est vinum
usuale, aliud potus usualis; quia usualis potus
potest esse vel ex vino multâ aquâ diluto, vel ex
alijs liquoribus; vinum autem usuale, non nisi
vinum esse potest, quod non solum pro potu, sed
etiam pro alijs usibus servit.

Ad aliud argumentum desumptum ex decre-
to Concilij Triburiensis, in primis dico hoc Cō-
cilium provinciale quoad hoc correctum fuisse
à Florentino universalis, præcipiente modicissi-
mam aquam vino consecrando infundere.

Respondet secundò, licet vino consecrando
tertia pars aquæ infundatur; quia tamen vinum
majoris est activitatis quam aqua, illiusque resi-
stentiam faciliè superare potest, præsertim quan-
do est potens & generosum, intra breve illud
tempus quod ab offertorio ad consecrationem
intercedit, potest tertiam partem aquæ ei admix-
tam, in suam substantiam convertere. Cum verò
sacerdos advertens non fuisse tempore oblatio-
nis appositam aquam calici, illâ adhibet, & sta-
tim consecrat juxta præscriptum rubricarum; si
in brevi illa mortua, aqua non sit conversa in vi-
num, in sanguinem Christi non convertitur, sed
manet in propria specie. Propterea tamen non
datur populo occasio idololatriæ, quia cum a-
doratio fidelium, fide dirigatur, fertur solum ad
sanguinem Christi latentem sub speciebus Eu-
charisticis, non verò ad alia quæ per accidens iis
adjuncta sunt; sicut si inter hostiam consecra-
tam crinis insertus sit, nullus tamen creditur ip-
sum

sum adorare. In eo etiam casu verba consecrationis verificantur, quia non respiciunt absolute quidquid in calice reperitur, sed tantum materiam consecrationi aptam. In eo demum casu sacerdos jejunos censetur, quia totum sumit per modum unius sacramenti, sicut si hostia consecrata esset admixta aliqua particula farinæ hordeaceæ; vel sicut quando gutta aquæ per fauces sacerdotis os lavantis, casu elabatur.

63. Obijcies tertio: Aqua mixta vino non potest converti in ipsum: Ergo si convertatur in sanguinem Christi, id fit immediate. Consequentia patet, Antecedens verò probant Adversarij, Primo ex eo quod Aristoteles, Plinius, & omnes Medici, atq; Chymici, affirmant talem conversionem esse impossibilem.

Secundo, quia experientia docet, aquam mixtam vino, etiam multo tempore post illam mixtionem, posse à vino separari, per immisionem medullæ junci, aut per spongiam oleo infusam.

Tertio ratione: Non enim potest hæc conversio fieri, nisi vinum alteret & corrumpat aquam: Sed vinum non potest hoc præstare: Ergo hæc conversio aquæ in vinum fieri nequit. Major patet, Minor probatur. Nam vinum non potest aquam corrumpere qualitatibus symbolis, putà humiditate, & frigiditate, quia simile non agit in simile; neq; etiam qualitatibus dissymbolis, putà caliditate, quia calor non continetur in vino formaliter, sed virtualiter tantum; unde cum calor virtualis non agat nisi prius irritatus & excitatus ab illo subjecto in quod agit; aliunde verò non possit aqua excitare calorem vini, ed quod ipsa omni calore destituta sit; non poterit vinum per calorem corrumpere aquam: Ergo illam nullo modo corrumpere potest.

Deniq; idem Antecedens suadetur: Si vinum posset aquam in suam substantiam convertere, per mixtionem aquæ vinum redderetur fortius & vegetius: Sed hoc dici nequit, cum experientia constet, quod virtus vini cui aqua aut guttatim aut tota simul infunditur, sensim deficit, & tandem evanescit, ita ut non percipiatur vinum, sed videatur in aquam conversum. Sequela verò probatur, quia ignis & alia corpora simplicia sunt vegetiora, quando augentur per aliorum in se conversionem: Ergo similiter vinum fieret vegetius & fortius per mixtionem aquæ, si eam in suam substantiam transmutaret.

64. Respondeo negando Antecedens, & ad primam ejus probationem, quoad Aristotelem, dico eum falso omnino à Conincko citari, cum oppositum doceat lib. 1. de generat. cap. 5. lect. 14. apud D. Thomam, & cap. 10. lect. 25. unde S. Thomas infra quest. 77. art. 8. ait: *Gutta aquæ multo vino permixta, transit in speciem vini, ut dicitur 1. de generatione.* Medicis autem & Chymicis opponimus præter Aristotelem, Albertum magnum, D. Thomam, & omnes ejus Discipulos, Alenssem, D. Bonaventuram, Scotum, & plures alios; imò innocentium III. supra citatum, qui opinionem asserentem aquam transubstantiari in sanguinem, cum in vintum transeat, mixta vino, ut probabiliorum elegit, subindeq; verius & probabilius esse censuit, aquam mixtam vino posse in ipsum converti.

Ad secundam dico cum D. Thoma in 4. dist. 10. in expositione litteræ, id quod per artem chymicam separatur à vino, non esse aquam, sed aqueum humorem, hujus signum est, quod ex puro vino potest etiam extrahi: dicitur verò a-

A queus humor, quia est quodammodo similis quæ, quamvis substantialiter sit vinum transubstantiatum.

Dici etiam potest, quod si aqua illa ex vino extracta, sit vera aqua, generatur tunc ex vapore vini cui aqua admixta fuerat, & in illud condensata, attracta à medulla junci, aut spongiæ, quæ imbuta; eodem prorsus modo quo ex terra, quæ pore attracta à Sole generatur aqua in medullæ gione aëris. ut docet Aristoteles lib. 1. Meteor. cap. 9.

Ad tertiam dico posse vinum duobus modis corrumpere aquam, in parva quantitate submixtam: uno modo per divisionem, rationemque illa modica aqua dividitur in partes minutas, sub quibus non potest forma aquæ manere, cui consequenter succedit forma vini, ut verò aliqua alia; tum quia ab ipso vino facit divisio; tum etiam quia illud est corpus unum circumdans partes aquæ. Secundo potest vinum corrumpere aquam per actionem, agendo in illam, non per qualitates symbolas, sed per symbolas, scilicet per calorem virtuales. Nec verum est calorem virtuales non agere, nisi prius excitetur à calore formali subjecti in quod agit, ut patet in calce, quæ solà aqua postea, si tum ferret. Addi etiam potest, ignem agere per aliquam qualitatem innominatam, ipsam formaliter efficientem, quam appellamus calorem virtuales, ed quod producat effectus proprios caloris, sicut lux Solis dicitur ob eandem rationem calor virtualis.

Ad quartam, nego sequelam Majoris, dicit probationem illius, concessio antecedentis, per consequentiam, & paritatem. Ratio vero dicitur est, quia cum in igne & in alijs corporibus simplicibus, qualitas per quam agunt, sit proprietas ab eorum substantia per simplicitudinem emanationem proveniens, facile ex seipsis repant damnum, quod ex resistentia contrarij ceperunt; quod in vino & in alijs mixtis, propter oppositam rationem contingere nequit, unde non est mirum, si virtus eorum sensim deficiat.

Obijciunt ultimum Adversarij: Multo certius est, totum quod continetur in calice, post legitimam consecrationem, in sanguinem converti, quam aquam prius converti in vinum; quia primum asserunt communiter Patres & Theologi, imò & quidam volunt esse de fide, secundum verò negatur à pluribus: Ergo non potest prius in sua veritate & certitudine pendere à posteriori. Consequentia probatur, quia posterus non potest habere majorem certitudinem, quam prius; nec certum ab incerto in sua veritate pendere.

Ad hoc argumentum cui potissimum consistit Adversarij, & quod apud illos palmarium est, & in hoc litterario certamine, veluti Achillem, facile responderetur, concessio Antecedentis, per consequentiam; ad cujus probationem dicendum est, nihil ob stare in bono discursu. Consequens esse inter dum certius Antecedens, non quidem vi illationis præcisæ, & quæ pendet ab illo, sed quatenus potest habere aliunde specialem gradum certitudinis, putà quia aliunde est communiter receptum in Ecclesia contingit in proposito. Potestq; asserti in littera manifesta, nam hæc propositio, *humana creatura non existit sine propria substantia*, dependet in sua veritate ab illa, substantia creata dissimulatur realiter à natura, ita quod si hæc effectus

prior non posset esse vera; & tamen prima certior est, quia aliunde est de fide, non verò practice quatenus dependet ab alia propositione.

ARTICULUS V.

An materia consecranda debeat esse præsens Ministro, & sub certa quantitate?

67. Dico primò, ut validum fiat sacramentum, materia ejus debet esse præsens sacerdoti consecranti. Ita D. Thomas in 4. dist. 11. quest. 2. art. 1. quest. 3. ad 1. ubi sic habet: *Ipsa forma pronominis demonstrativo utens ostendit quod materia consecranda debet esse coram sacerdote, unde sacerdos, existens in domo sua, non posset consecrare panem quæstus in altari.* Quibus verbis duas insinuat S. Doctor pro nostra conclusione rationes.

68. Prima & fundamentalis est, quod pronomen *Hoc*, vel *Hic*, contentum in forma consecrationis, significat rem præsentem; unde falsa esset forma, si materia esset absens.

Secunda est ab inconvenienti: si enim materia non deberet esse præsens sacerdoti consecranti, sequeretur sacerdotem existentem Parisijs, & domo sua posse consecrare omnes hostias existentes in Ecclesia, imò & quæ sunt Romæ, & in omnibus totius mundi civitatibus, quod absurdum & falsum esse constat. Ex quibus

69. Inferes primò contra Majorem, non posse sacerdotem consecrare hostiam à tergo positam, quamvis eam in speculo videat, quia non potest eam demonstrare pronominis *Hoc*, sed solum ejus similitudinem relucens in speculo, quæ non est materia hujus sacramenti, vel consecrationis.

70. Inferes secundò, posse sacerdotem consecrare hostiam in pixide occlusam, vel latentem sub alijs, aut sub linteis, quia est moraliter præsens ratione continentis.

Dices, Infans intra uterum matris existens, non est moraliter præsens ut possit baptizari suscipere: Ergo nec hostia intra pixidem existens.

Respondeo negando consequentiam & paritatem, infans enim debet physicè abluì, ad quod requiritur physica præsencia subiecti abluendi; hostia verò non debet verbis consecratori physicè tangi, adeoque sufficit moralis ejus præsencia.

71. Dico secundò, sacerdotem valide posse consecrare materiam, quantumcumque sit magnitudinis, dummodo illi moraliter præsens esse possit. Ita D. Thomas hic art. 2. in corp. contra aliquos qui dicebant quod sacerdos non poterat consecrare magnam quantitatem panis aut vini, putà totum panem qui venditur in foro, aut totum vinum quod est in dolio. Est etiam contra Alensium, D. Bonaventuram, Paludanum, & alios, asserentes materiam consecrandam esse determinatam quoad maximum, non quoad minimum; quia (inquit) quantitas materia consecrandæ sumi debet per ordinem ad usum fidelium, propter quem hoc sacramentum est institutum: Ergo tanta & non major consecrari potest, quanta probabiliter sufficit ad usum fidelium. Addunt quod virtus sacerdotis & verborum finita est: virtus autem finita habet de se terminum certum ultra quem non potest operari.

72. Probatur tamen conclusio ratione fundamentalis. De fide est Christum dedisse sacerdotibus potestatem consecrandi panem & vinum, & nullà constare auctoritate, vel traditione, aut ra-

73. A tione, Christum limitasse hanc potestatem ad certum terminum magnitudinis, quo major, licet sensibiliter præsens, consecrari non possit: Ergo temerè limitaretur: Major est certa ex Scriptura & Concilijs, Minor verò patebit ex solutione objectionum.

Confirmatur: Hoc sacramentum non consistit in usu, sed in consecratione materiae, quamvis ordinetur ad usum ut ad effectum posteriorem: Ergo salvatur ejus essentia in sola materia debite applicata, cum certa forma & intentione ministris.

Potest etiam suaderi conclusio ratione D. Thomæ, quæ sic breviter proponi potest. In omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiae sumitur ex ordine ad finem, sicut in terra tantum debet esse materia, quantum sufficit ad secundum: in hoc autem distinguuntur res naturales ab hoc sacramento, quod illa habent determinatam quantitatem, per comparisonem ad formam determinatam; hoc verò sacramentum, per comparisonem ad usum fidelium: Sed numerus fidelium est indeterminatus: Ergo & materia hujus sacramenti. Neque enim oportet quod determinetur per comparisonem ad numerum fidelium qui nunc occurrunt, aliàs sacerdos habens tantum centum parochianos, posset tantum consecrare centum hostias, sed comparatio debet fieri circa populum qui potest occurrere: numerus autem fidelium qui occurrere possunt, non est determinatus, cum & multi & iidem sæpius communicare possint: Ergo &c. Ex quo solum manet primum fundamentum adversæ sententiæ. Ad illud verò quod additur, dicendum est virtutem sacerdotis esse quodammodo infinitam, quia cum se habeat per modum instrumenti, agit in virtute Dei, quæ infinita est.

74. C Dices, In forma consecrationis vini sic dicitur: *Hic est calix*: Ergo oportet vinum contineri in calice, subindeque ejus quantitatem esse determinatam, & calici proportionatam.

75. D Sed nego consequentiam, nam cum dicitur, *Hic est calix* &c. est figurata locutio, in qua continens sumitur pro contento, idemque significat, ac si solum diceretur, *Hic est sanguis meus*, sicut Matth. 26. & Marci 14. habetur: unde etiam si vinum non esset in calice, sed in terra diffusum, consecrari posset.

Addo quod, quamvis nomine calicis, vas in quo vinum consecrandum continetur intelligeretur; tamen ex quantitate calicis non rectè colligeretur quantitatem vini consecrandi esse determinatam; tum quia dato quocumque calice, potest dari alius major: tum etiam, quia potest sacerdos habere coram se multos calices plenos, & simul omnes consecrare, sicut simul consecrat multas hostias.

76. E Dico tertio, qualibet pars panis & vini, quantumcumque parva, dummodo sit sensibilis, & sufficienter præsens, siue sit in toto continuo, siue extra est apta materia consecrationis. Ita S. Thomas hic art. 2. in argumento *sed contra*.

Probatur breviter: Illud potest valde consecrari, sub quo potest poni corpus Christi: Sed corpus Christi potest poni & existere sub qualibet parte panis & vini, quantumcumque parva, sub qua potest esse substantia panis & vini, quia corpus Christi est sub speciebus, ad modum ipsius substantiæ panis & vini: Ergo si aliunde talis

talispars sit sensibilis, & sufficienter præfens, A potest valide consecrari.

77. Ex quo inferes, partem minorem, minimo naturali conjunctam, posse consecrari, non autem separatam; quia sub illa ut separata non remanet substantia panis, bene tamen sub eadem ut conjuncta cum alijs.

78. Dices primò: Quæcumq; minima quantitas aquæ non sufficit ad Baptismum: Ergo neque quæcumq; minima quantitas panis ad hoc sacramentum.

Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem; materia enim Baptismi non est aqua, nisi ut ablucens, at non quævis minima pars aquæ ablucere potest; panis vero est materia Eucharistiæ, ut continens Christum; unde cum minima quantitas panis totum Christum continere possit, quælibet pars, quantumcumq; parva, est apta materia cōsecrationis.

79. Dices secundò, Sacramentum Eucharistiæ est institutum ad modum cibi: Sed ad rationem cibi requiritur aliqua determinata quantitas: Ergo & ad materiam Eucharistiæ.

Respondeo sacramentum Eucharistiæ esse institutum ut cibum, non materialem, qui ut corpus reficiat, determinatam requirit quantitatem, sed ut spiritualement, qui ut animam reficiat, certam quantitatem non exproscit.

80. Urgebis, sacramentum Eucharistiæ institutum est ut cibum spiritualis animæ, mediâ sumptione corporali: Sed ut cibum sit corporaliter sumptibilis, certam requirit quantitatem: Ergo & sacramentum Eucharistiæ.

Respondeo hoc argumentum solum probare, sacramentum Eucharistiæ, quantum ad usum & sumptionem corporalem, certam requirere quantitatem, sed id non probare de hoc sacramento, quantum ad consecrationem, & præsentiam Christi sub speciebus, de quo solum agimus in præfenti, unde hæc instantia non est ad rem.

81. Dico quartò, ut consecratio sit valida, debet in particulari determinari quantitas tam continua quam discreta materia, panis scilicet & vini.

Probat: Quantumcumq; materia secundum se sit legitima & consecrabilis, ac præfens Sacerdoti, si tamen iste non velit aut intendat eam consecrare, etiam si proferat verba consecrationis, non manet consecrata; quia intentio ministrum necessaria est ad consecrationem sacramenti, ut Tractatu de sacramentis in communi ostensum est: Ergo ut valda sit consecratio, materiam quantitas determinanda est per intentionem Sacerdotis, quæ velit consecrare tantam & talem quantitatem panis & vini.

Disp.
6.
art. 2.

82. Porro intentio Sacerdotis circa materiam consecrandam tripliciter ferri potest. Primò intendendo consecrare totam materiam quam habet coram se præsentem absolute, & tunc tota illa, cujuscumq; quantitatis sit, etiam si sit totus panis qui venditur in foro, & totum vinum quod est in dolio, manet consecrata. Secundò, intendendo consecrare ex materia quam habet præsentem, solum illam quam habet præmanibus, & quæ est super corporale, vel in pixide, aut in calice; & tunc sola illa manet consecrata. Tertiò, intendendo consecrare ex hostijs quæ sunt super corporale, aut in pixide, unam tantum; & tunc si eam designet, illa sola manet consecrata; si vero eam non designet, nulla consecrata manet. Similiter, si Sacerdos præfentes habeat un-

decim hostias, & intendat tantum consecrare decem, non tamen determinat illas decem quæ vult consecrare, & undecimam quam non vult consecrare, nullam earum consecrabit: non enim consecrabit omnes, quia hoc non intendit, ut suppono; neq; hanc vel illam, quia non est major ratio unius quam alterius.

ARTICULUS VI.

Utrum in aliquo casu ex dispensatione Pontificis liceat in una tantum specie consecrare?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Duo ut certa supponimus, & aliud in contrarium revocamus. In primis enim certum est valide unam speciem posse sine altera consecrari, ut constat ex ipso usu & præfatione Eucharistiæ, quæ species panis, hoc ipso quod consecratur, adoratur, etiam antequam calix consecratus, & si contingeret Sacerdotem ex malitia vel impotentia non consecrare calicem, eodem modo maneret ibi corpus Christi sub specie panis, quæ semel consecratus panis, non desinit continere corpus Christi, donec species corruptæ maneat. Idem dicendum est consecratione calicis, si sit sine consecratione panis.

Secundò certum est, nulli Sacerdoti de jure ordinario licere unam speciem consecrare sine altera. Est enim præceptum Ecclesiasticum, quod si quis sine altera consecraverit, ut liquet ex cap. *Ubi contra*, quæst. 1. & ex cap. *Referimus* de consecratione, dist. 2. ubi dicitur non posse sine altera calicem dividere mysterium; & ex ijs quæ habentur in decretis generalibus Missalis Romani, titulo de *festis*, ubi præscribitur, ut in omni calice quod fieri potest, sacrificium integrum peragatur. Inter alia præcipitur, ut Sacerdos qui ex impudentia quam pro vito consumpsit, accipiat vinum, & consecret, atq; consumat, non oblitus præcepto Ecclesiastico de non sumendo Eucharistiæ nisi à jejunis: cui præcepto, quum in gravi, præponderat aliud de consecrandis simul utraq; specie, & consumenda ab ipso consecratore. Solum ergo difficultas est, & controversia inter Theologos, utrum Summus Pontifex possit dispensare in hoc præcepto, & ob publicam aliquam utilitatem permittere, ut una species sine altera consecraretur.

Partem affirmativam tenent Adrianus in 4. quæst. 6. de Eucharistia, Major ibidem dicit, quæst. 3. Gabriel in canonem Missæ lect. 11. quæst. 3. Alanus libro 2. de Eucharistia, & alij ex Summistis. Eandem sententiam tenuisse Albertum Magnum in Tractatu de corpore Christi, refert Cardinalis Turrecremata in cap. *Comprimus* dist. 2. ipseque eam ibidem approbare videtur. In eo tamen discrepant hujus sententia doctores, quod Adrianus, & Major existimant non esse de jure divino, sed tantum Ecclesiasticum, in sacramentum Eucharistiæ sub utraq; specie consecrari. Alij vero licet putent id esse de jure divino, adhuc tamen asserunt Pontificem in eo dispensare posse, vel interpretari id jus divinum in aliquo casu non obligare, ut si in regno aliquo vitium conservari non possit. Sententia tamen negans Pontificem in eo dispensare posse, communior est inter

inter Theologos, tum domesticos, tum extraneos; licet plures ex Recentioribus sententiam affirmantem probabilem existiment.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

Dico primò, esse de jure divino, quod sacramentum Eucharistiae non conficiatur, nisi consecrando utramque speciem. Ita D. Thomas hic art. 1. ad 2. & infra quæst. 80. art. 12. ad 3. quibus locis duas insinuat rationes, quibus breviter suaderi potest nostra conclusio.

66. Prima est: Quæ sunt necessaria ad integritatem sacramenti, sunt de jure divino: Sed consecratio utriusque materiæ est necessaria ad integritatem sacramenti: Ergo est de jure divino. Major patet, integritas enim sacramentorum est de jure divino, cum ea à solo Christo instituta sint. Minor verò ex eo suadet, quod Eucharistiae sacramentum per modum convivij institutum est: Sed ad integritatem convivij requiruntur cibus & potus: Ergo & ad integritatem hujus sacramenti pertinet utraq; species panis & vini.

67. Secunda ratio sic potest proponi. De jure divino est, ut hoc sacramentum non conficiatur, nisi simul Deo sacrificium incruentum offeratur: Sed sacrificium incruentum Deo offerri nequit, nisi utraq; species consecratur: Ergo de jure divino est, quod hoc sacramentum non conficiatur, nisi consecrando utramque speciem. Minor est certa, tum quia sacrificium Eucharistiae essentialiter & per se debet esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech, quia hoc est sacerdotium novæ legis, in qua Christus Dominus est Sacerdos secundum illum ordinem, ut probat Apostolus ad Hebræos 6. & declarat Concilium Tridentinum sess. 12. cap. 1. ubi ait Christum fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, in institutione sacramenti Eucharistiae: ritus autem illius Sacerdotij erat in oblatione panis & vini, non alterius tantum speciei, ut patet ex illo Genes. 14. *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum: erat enim Sacerdos dei altissimi.* Tum etiam, quia sacrificium Eucharistiae est idem quod sacrificium crucis, ex parte rei oblatae, illudque repræsentat ex parte specierum, ut constat ex Tridentino citato, cap. 2. De ratione autem & essentia sacrificij crucis fuit quod sanguis realiter & cruentè separaretur à corpore Christi: Ergo de ratione & essentia sacrificij sacramentalis est, quod sanguis mysticè & incruenter separaretur à corpore, quod esse non potest, nisi sub utraq; specie hoc sacramentum conficiatur; quia in altera tantum, potius sanguis & corpus uniantur per concomitantiam. Ut ergo detur separatio mystica, requiritur utraq; species, quatenus ex vi verborum, & ex significatione specierum, ponitur in una corpus, & in alia sanguis; ut magis declarabitur infra, cum de Missæ sacrificio disseremus. Major verò in qua est difficultas, sic ostenditur. De jure divino præceptum est Sacerdotibus, ut Eucharistiam conficerent, eo modo quo Christus in illis verbis instituit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Sed per illa verba præcepit Sacerdotibus, ut per modum sacrificij Eucharistiam conficerent: Ergo de jure divino est, quod sacramentum Eucharistiae non conficiatur à Sacerdotibus, nisi per modum sacrificij, seu nisi simul

Tem. V.

A Deo sacrificium incruentum offeratur. Major patet, Minor verò probatur ex Tridentino sessione 22. cap. 1. ubi inquit, quod Christus Dominus corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulit Deo Patri, ac sub earum rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituēbat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit. Et can. 2. *Siquis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, alique Sacerdotes, offerrent corpus & sanguinem suum, Anathema sit.* Sed offerre corpus & sanguinem, est sacrificium, quia est oblatio facta in honorem Dei: Ergo per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, Christus præcepit Sacerdotibus, ut per modum sacrificij Eucharistiam conficerent. Id etiam aperte declarat traditio Ecclesiæ, quæ colligi potest tum ex multis quæ congeruntur de consecratione dist. 2. tum etiam ex usu, nunquam enim hoc sacramentum confectum est, nisi offerendo Deo Missæ sacrificium.

B Poter etiam suaderi conclusio à posteriori, & à signo: Nam præceptum de hoc sacramento conficiendo sub utraq; specie, prævalet omni præcepto Ecclesiastico, unde Sacerdos, etiam non jejunus, sacrificium ab altero inchoatum, & ex aliquo accidēti non perfectum, debet perficere: Ergo signum est, præceptum de consecrando sub utraq; specie, esse ordinis superioris, & divini.

C Dico secundò, non potest Summus Pontifex dispensare, ut Sacerdos confeceret in una tantum specie.

88. Probatur primò: Si posset Pontifex cum aliqua Ecclesia dispensare, ut sacramentum Eucharistiae in una tantum specie conficeretur, posset etiam efficere ut talis Ecclesia sine uno sacrificio subsisteret: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris est evidens, siquidem non potest modò dari aliud sacrificium in Ecclesia, præter Eucharistiam: tunc autem Eucharistia non haberet rationem sacrificij, cum in una tantum specie, Eucharistiae sacrificium salvari nequeat, ut præcedenti conclusione visum est. Minor verò suadet: Sacrificium est præcipuū religionis fundamentum, sine quo illa stare nequit, juxta illud Augustini libro 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen religionis coadunari homines possunt, nisi aliquo visibilium signorum consortio colligentur*; unde tunc cessavit lex antiqua, quando ablatum est iuge sacrificium, & Apostolus ad Hebræos 7. ait *Translato Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat*, Sacerdotium verò & sacrificium dicuntur correlativè, ut inquit Tridentinum sess. 23. cap. 1. Ergo Summus Pontifex suā dispensatione efficere nequit, ut aliqua Ecclesia sine ullo sacrificio subsistat.

E Probatur secundò conclusio ex fundamentis in præcedenti statuta. Ut enim ibi ostensum est, præceptum de non consecrando in una tantum specie, est divinum, & non purè Ecclesiasticum: Sed Pontifex in his quæ sunt de jure divino dispensare nequit, ut dicitur Can. *Sunt quidam*, & can. *Contra 25.* quæst. 1. & patet, quia inferior non potest dispensare in lege lata à superiori: Ergo Pontifex non potest dispensare ut Sacerdos confeceret in una tantum specie.

Dices, Licet non possit Pontifex dispensare in

Gg

his

his quæ sunt de jure divino, potest tamen interpretari tale jus, declarando illud non obligare in hoc vel in illo casu; ut in proposito, si præceptum de non consecrando in una tantum specie, concurret cum alio divino, & non possit utrumque simul servari; v.g. cum præcepto communicandi in articulo mortis, vel cum in tota aliqua regione non potest haberi vinum. Unde refert Volaterranus libro 3. Geographiæ cap. de Saxonibus, Innocentium VIII. dispensasse cum illis ad consecrandum tantum in pane, eo quod in illis regionibus vinum statim acefcat. Ergo in talibus casibus poterit Pontifex interpretari quod tale præceptum non obliget.

91. Sed contra: Prædicta interpretatio non potest fieri nisi propter aliquam legitimam causam occurrentem: Sed nulla talis potest occurrere: Ergo &c. Minor probatur ex eo quod à sexcentis sexaginta & amplius annis nunquam se talis occasio obtulit: quod enim narrat Volaterranus, fictitium esse colligitur. Primum quia nullum alibi extat hujus concessionis monumentum: quomodo autem in rem tam gravi & inutili non extaret? Secundò quia ex ipsa phrasi convinci potest falsitatis; ait enim permisit Pontificem, ut Norvegi sine vino calicem consecrarent. An verò cervisiam, aut vinum malogranatorum, pomorum, aut morum, vel lac, aut aquam consecrare permisit, si ve puram, ut Aquarj usurpabant, si ve mellitam, ut Melancthon putavit usurpare Ruthenos posse, ob inopiam vini? Tertiò, quia nec stat ratio ipsa quam prædictæ concessionis Volaterranus refert, quod nempe vinum in Norvegia non crescat, aliunde importatum cito acefcat; cum sit nunc vinum ibi tam abundans, & tam potui aptum, ut nec sine specie vini communicare Laici velint.

Addo ex Bzovio ad annum 1490. circa illud tempus nonnullos Sacerdotes qui postea combusti sunt propter falsificata diplomata pontificia, potuisse in illis partibus falsam aliquam dispensationem publicare.

Quod verò dicitur de concursu duorum præceptorum, non est etiam sufficiens fundamentum ad faciendam hanc interpretationem; quia alia præcepta Ecclesiastica, quæ non sunt tanti momenti, sicut istud divinum de consecrando in utraq; specie, non possunt prætermitti propter adimplendum præceptum communionis; nam ad communicandum egrotum verbi gratia in periculo mortis existentem, non licet celebrare sine vestibus sacris, neq; post cibum sumptum: Ergo à fortiori non poterit prætermitti hoc præceptum divinum de consecrando in utraq; specie. Ratio verò horum omnium est, quia neq; tunc urget spiritualis necessitas proximi, cum per alia sacramenta & per devotionem egroti possit id compensari: neq; urget etiam necessitas præcepti divini de communicando, quia cum tale præceptum sit affirmativum, non obligat nisi habitâ copiâ sacramenti, quæ in illis casibus non habetur.

§. III.

Solvuntur objectiones.

92. Obijcies primò contra primam conclusionem: Divus Thomas in 4. dist. 11. quæstio. 2. art. 1. quæstionculâ 1. ad 4. insinuat videtur, præceptum de consecrando in utraq; specie, non esse Divinum, sed Ecclesiasticum; ait enim

A (teste Suarehic disp. 43. sect. 3.) unam speciem non esse sine alia consecrandam tantum quæ contra morem Ecclesiæ, quæ verba minusculis literis notat Suarez, quasi essent D. Thomæ.

Sed in citatione hujus Authoris fidelitatem Divi Thomæ non reperiuntur, nam verba illa tantum dicit quod ille qui habet alteram tantum speciem, debet potius desistere à consecratione quam conficere, præter morem Ecclesiæ, in una tantum specie. Ubi ly, præter morem Ecclesiæ, non excludit jus divinum, sed supponit, quia istemores Ecclesiæ, ex præcepto divino est. Et ita sensus illorum verborum est, quod præter morem Ecclesiæ, à Christo institutum, non licet in una tantum specie consecrare, non autem ob solam consuetudinem ab Ecclesiâ ortam.

Obijcies secundò: Si præceptum de consecrando sub utraq; specie esset divinum, vel esset naturale vel positivum? Neutrum dici potest: ergo tale præceptum non est divinum, sed potest esse ecclesiasticum. Sequela Majoris patet, nam præceptum divinum adequatè dividitur in naturale & positivum. Minor verò quoad utrumque prætem suadet. Et in primis quod tale præceptum non sit positivum, videtur manifestum, cum in nullo Scripturæ loco reperitur. Quod verò non sit naturale, ex eo patet quod ex ipsa sacramentorum institutione non sequitur.

Respondet concessa Majori, negando Minorem, & ad probationem illius dico hoc præceptum esse in primis positivum, quia colligitur ex illis verbis Christi, Hoc facite in meam commemorationem, ut in prima conclusione probatum est. Potest etiam dici quodammodo naturale, quia suppositâ hujus sacramenti & sacrificij institutione, requiritur quod sit integrum: ad integritatem verò Eucharistiæ in ratione sacramenti, seu spiritualis convivij, & ad substantiam sacrificij incremendi, cruentum crucis sacramenti representantis, utriusque speciei consecratio necessaria requiritur, ut ibidem ostensum est.

Dices, Christus in Cœna post consecrationem panis & calicis dixit, Accipite & manducate, sicut ex eo omnes; & tamen hæc verba non continent præceptum sumendi utramque speciem; alioquin Ecclesiâ non posset prohibere laicos calicis sumpcionem: Ergo neq; hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, continent præceptum positivum conficiendi Eucharistiam sub utraq; specie. Unde etiam ipse Christus Luca 24. legitur consecrasse in solo pane in Calicella Ematis.

Respondet quod quando Christus factâ consecratione panis & vini dixit Accipite &c. communionem sub utraq; specie omnibus adhibuit non præcepit, sed solum omnibus Sacerdotibus, quia præcepit illis qui tunc ibi aderant, & qui constituebant Sacerdotes. Et quod ad illos tantum & non ad omnes communicantes loquitur Christus, constat; quia ad eosdem dixit illa verba, Accipite & manducate, bibite ex eo omnes, ad quos dixit: Hoc facite in meam commemorationem: Testatur autem Concilium Tridentinum supra citatum, universam Ecclesiam hoc semper intellexisse, quod in illis verbis, Hoc facite, præcepit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent hoc sacrificium Deo: Ergo in illis verbis loquitur ad illos ut Sacerdotes: Ergo etiam in alijs

cum dicebat. *Bibite ex eo omnes*, id est omnes sacrificantes, non verò omnes communicantes. Unde licet Ecclesia, utrumque calicis laicis prohibeat, non dispensat tamen nec dispensare potest Sacerdotes sacrificantes, ut in una tantum specie communicent.

Ad factum Christi consecrantis panem sine calice pro duobus Discipulis, res est incerta, an etiam tunc consecraverit calicem, nec oppositum constat ex Scriptura; potuit enim utrumque consecrare, & solum præbere panem Discipulis, ipse autem utrumque sumere, & dum dare. Discipulis panem, ex eorum oculis evanescere. Quod si de facto Christus calicem non consecravit, id fecit ex suprema potestate quam habet supra substantiam sacramentorum, & sacrificij, quam Ecclesia non dedit, unde illa nullam potestatem habet in substantiam, aut integritatem sacramentorum, vel sacrificij Missæ.

Objicies tertio contra secundam conclusionem: Pontifex potest dispensare in his quæ sunt de jure divino, nam votum obligat de jure divino ad sui impletionem, & tamen potest in illo dispensare. Idem est de matrimonio rato & non consummato, in quo Pontifex dispensat, & tamen vinculum & obligatio illius est de jure divino & ex natura contractus, qui de se est indissolubilis: Ergo licet sit de jure divino, quod sacramentum Eucharistiæ non conficiatur, nisi consecrando utramque speciem, poterit tamen Pontifex ex commissione Christi, & virtute clavium, dispensare in hoc, & permittere ut Sacerdos in una tantum specie consecret.

Respondeo primo, quod licet daretur Pontificem posse dispensare in jure divino, ex commissione Christi, inclusa in illa universalis potestate clavium, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in celis*; certum tamen est, ipsum non posse dispensare in jure divino spectante ad substantiam vel ad integritatem sacramentorum, vel sacrificij Missæ, ut constat ex Tridentino sessione 21. cap. 2. ubi sic dicitur: *Declarat Sancta Synodus, hanc potestatem perpetuam in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ suscipiuntur utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum tempore, & locorum veritate, magis expedire judicaverit*. Cum ergo consecrare in utraque specie sit de integritate sacramenti Eucharistiæ, ut habet rationem spiritualis convivij, & de substantia sacrificij Missæ, non potest Pontifex virtute clavium in hoc dispensare, ac permittere quod Sacerdos in una tantum specie consecret.

Respondeo secundo, dupliciter posse aliquid esse de jure divino, primo absolute & simpliciter, quia ipse Deus per seipsum imponit aliquod præceptum & obligationem, ejusque naturam & modum determinat: Secundo, ex suppositione, quia voluntas humana disponit materiam & exhibet illam; quæ supposita & manente, obligat jus divinum & naturale ad implendam illam. Quod est de jure divino primo modo, non cadit sub dispensatione Pontificis, cum non constet datam illi esse à Christo potestatem ut dispenseretur in istis præceptis quæ immediate ipse posuit, præsertim circa substantiam sacramentorum & sacrificij: potest verò dispensare Pontifex in his quæ sunt de jure divino secundo modo, quia tunc solum operatur potestas Ecclesiæ circa illud factum humanum, quod requiritur & præ-

Tom. V.

supponitur tanquam conditio ut jus divinum obliget: v. g. in dispensatione voti, Pontifex non tollit obligationem quæ quilibet tenetur implere id quod Deo promissit, sed tollit tantum fundamentum talis obligationis, quam homo actu humano sibi imposuit, ob jus quod habet Pontifex super voluntatem omnium fidelium sibi subditorum. Idem dicendum de matrimonio rato & non consummato, quod quia solum est contractus ortus ex voluntate humana, & nondum habet consummationem suam, potest per voluntatem superioris dispensari ne adimpleatur & obliget; non tamen posita consummatione, quia tunc esset in præjudicium ipsius matrimonij, & perpetuitatis ejus, præter præjudicium quod inde proveniret alteri conjugi, & proli. Cæterum ex eo quod Pontifex dispensat in præcepto de consecrando in utraque specie, dispensaret in jure divino absoluto, quod cum habeat derivari ex divino tantum arbitrio, non potest subire dispensationem inferioris ipsi Deo.

Objicies quarto: non minus pertinet ad essentiam sacrificij Missæ, sumptio utriusque speciei, quam utriusque consecratio: Sed Ecclesia dispensare potest, ut celebrans Missæ, sacrificium, sumat speciem panis, sine calice: Ergo & quod tamen speciem consecret sine alia. Major videtur certa, Minor verò suaderi potest, tum ex eo quod quando ordinati celebrant cum Episcopo, non sumunt calicem; tum etiam, quia Ecclesia in die Parasceves, propter representationem mortis Christi, ordinat ut Sacerdos celebrans sumat species panis sine consecratione calicis.

Respondeo data Majori, negando Minorem, & ad primam illius probationem dico quod quando ordinati celebrant cum Episcopo, non sunt principales celebrantes & sacrificantes, sed solus Episcopus; præsertim quia regulariter solus Episcopus consecrare solet; ipsi autem ordinati referunt suam intentionem ad verba Episcopi, ut per illa fiat consecratio, quando ipse finit, non quando ipsi finiunt; si autem contingat simul cum Episcopo finire, hoc rarissimum est; unde per se & regulariter, solus Episcopus præsumitur consecrare, ideoque solus utramque speciem sumit.

Ad secundam verò probationem respondeo, in die Parasceves non fieri sacrificium, neque caeremoniam illam quæ eâ die fit, esse Missam: unde quando dies illa cadit in festo Annuntiationis, non tenentur fideles tali caeremonia interesse, ut constat expressè ex decisione Cardinalium sacre Congregationis rituum 19. Februarij anni 1622. quam refert Barbosa in Collectaneis, verbo *Annuntiatio Dominica*; & est maxime conformis ipsi juri, ut patet ex capite *Sabbato de consecratione*, distinctione 3. ubi dicit Innocentius I. quod illo biduo feriâ sexta, & Sabbato sancto (ut traditio habet Ecclesiæ, nulla sacramenta celebrantur. Loquitur textus juxta antiquum ritum Ecclesiæ, quo in Sabbato sancto non fiebat sacramentum, nec Missa celebratur, usque ad noctem resurrectionis Dominicæ.

Gg 2

DISP.